DE LITE SEPULCRALI IN SOPHOCLIS FABULA QUAE VOCATUR AIAX.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS AUCTORITATE ET CONSENSU AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIX. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXXXIV

HORA UNDECIMA

PUBLICE DEFENDET

IOANNES BEHME
GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
LUDOVICUS BALZER.
FRANCISCUS KLEINSORGE.

MARBURGI.
TYPIS FRIDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Interpretatio Sophoclea nostris temporibus maturitatem assecuta est, quae convenit magno progressui litterarum. Sed quo accuratius in mysteria poetae intrabant, eo magis perspectum habebant sub elegantia sermonis eius saepissime non parvas difficultates abditas esse. Quibus perversissimum est se commode liberare, cum propter eas toti versus leviter delentur. Tamen coniectandi etiam ars temperanda est. Nam quae textus praebeat, si explicari possint aliquo modo, verisimilius putem esse vera Sophoclea quam inventum aetatis inferioris. Atque talia inventa non semper subtilitate valere sine arrogantia contendi potest. Multi enim, qui coniecturis claritatem et veritatem consequi student, raro operam dant ut totum contextum aut poetae sapientiam bene intellegant. Oculi eorum ad unum locum adhaerescunt neque vident etiam artis et *ἠθοποιίας* praecepta non neglegenda esse.

Quare eum, qui temeritati generis critici repugnare studeat, non abiectissimum opus suscipere concedes. Circumspicienti autem mihi, quo loco primum omnes nervos contendam, non ingratum videtur esse fabulae quae inscribitur Aiax partem ad certamen sepulcrale pertinentem quam diligentissime perlustrare atque explanare. Neque fugiet quemquam quae elegi identidem a compluribus doctis in controversiam vocata et reprehensa esse, cum alii summo honori ea non esse Sophocli aut ex magna parte delenda esse profiteantur, unus etiam Theodorus Bergkius nimia severitate extremam Aiacis partem omnino poetae abiudicare velit.

Opusculum autem ita disponam ut priore capite litem illam ab opinionum arbitriis universe seiunctam interpreter, deinde, postquam hoc modo animos mihi scaenis sepulcralibus magis faventi conciliare studui, altero capite quasi respiciam atque utrum poetam hic laudare deceat necne astricte investigem.

I.

Fabulae Sophocleae, cui titulus est Aiax, versibus 865—1040[1]) propinqui mortem Aiacis, qui post v. 865 se ipse interfecit, ita ut quisque proprietate sua movetur lamentantur. Id autem poeta intendit ut lamentatione in litem traducamur, quam inter Teucrum et Atridas de mortuo sepeliendo exoriri opus est. Nam primum Aiax animis nortris multo gratior fit, quippe qui ab uxore, fratre, amicis atque subiectis valde deploretur, quin etiam dignus esse dicatur lacrimis inimicorum (924). Talem virum augustissimum et validissimum fuisse neque scelera sordida commisisse consentaneum est. Simul autem optare coepimus, ut de sorte corporis mortui certiores fiamus, praesertim cum Atridas ira Aiacis flagrare eique aliquid machinaturos esse ex priore parte cognoverimus (251 al.). Praeterea quod maleficium quoddam eorum v. 959 sq., 985 sqq. indicatur atque eos magnis inimicitiis perbrevi in scaenam prodituros esse putamus, semina futurae actionis, quae iam antea sparsa sunt, hic ad maturitatem perducuntur. Denique autem lamentis funebribus poeta contendit, ut Aiax, cum laudibus maxime efferatur, Atridis, qui paullo post in scaenam veniunt invidiaque nobis displicent, efficienter opponatur.

Omnino haec pars tragoediae dignissima est arte Sophoclea. Nam oportet fabulam valere rebus bene oppositis atque hoc loco excellentissime res sibi opponuntur. Aiacis persona coniungit, ut ita dicam, duas actiones diversas, cum ipsa inter eas collocata sit. Etenim ab hac parte vehementissime deploratur, voces lamentabiles aures nostras attingunt, cum ab illa parte Atridis maximo odio sit et opprobriis ac cavillationibus cumuletur. Hic laudatur ut optimus vir, quem omnes desiderant; illic iudicatur homo maleficentissimus, qui crudelissimam poenam meruerit. Hic se praeparant ad sepulturam faciendam, ex qua beatitudinem sempiternam pendere veteres putabant[2]); illic mortuum sepultura privare et sempiternae miseriae tradere volunt.

Lamentatione funebri sequentia iam monstrata sunt. Nam primum inimici Aiacis odio suo satisfacient. Quomodo hoc eventurum sit, tantum coniectari potest, cum posterioris effectus causa nihil certi pateat. Immo vero neque Tecmessa neque chorus (944—949, 955—960, 985 sqq.) suspicantur, quatenus

1) Versus indico ex numeratione Schneidewini.

2) Cf. 1126: δίκαια γὰρ τόνδ' εὐτυχεῖν κτείναντά με; Eur. Med. 1032 sqq.: ἦ μήν ποθ' ἡ δύστηνος εἶχον ἐλπίδας | πολλὰς ἐν ὑμῖν γηροβοσκήσειν τ' ἐμὲ καὶ κατθανοῦσαν χερσὶν εὖ περιστελεῖν, | ζηλωτὸν ἀνθρώποισι.

Atridae odium expleturi sint, sed verisimile putant eos praecipue amicos mortui aggressuros esse. Tantum v. 961 sq. et 1042 sq. attinent ad minimam futurae calamitatis partem. Quae opinantibus spectator cum ipse forsitan adstipuletur, eo magis permovetur, simulatque Menelaus declaravit se mortuum dehonestare animo proposuisse. Atque vero ex arte dramatica intellegi potest Sophocli cavendum fuisse, ne ea, quae illi exspectabant, vera fierent. Nam si evenissent, nova actio facta esset, quae cum praecedente tamquam externo vinculo coniuncta fuisset. Opus fuisset aliam personam, fortasse Tecmessam primas partes agere, ita ut vitium exortum esset etiam maius quam in Schilleri fabula, quae dicitur Don Karlos[1]). -- Deinde autem cautione Teucri, quam conspicimus v. 985 sqq., indicatur eum consiliis inimicorum obstaturum esse, ad quod etiam desiderium Tecmessae spectat, cum v. 921 sq. eum vehementissime advocet. Denique v. 924 cum Ulixe conferri potest, quem Aiacis quondam inimicissimi tum miseret, neque neglegendum videtur esse verba *Τεῦκρος* 921 et *ἐχθροῖς* 924 alterum alteri ita postposita esse ut Teucer et Ulixes postea actionis participes fiant.

Quibus de lamento funebri dictis nunc litem ipsam, quae de sepeliendo Aiace exsistit, investigabo. Atque incipit v. 1040, cum chorus propter adventum inimici Teucrum adhortatur, ut sepulturam celeret. Verbis *φράζου ὅπως κρύψεις*[2]) sine consilio ac ratione quidem iam ostendit, cur adversarius in scaenam proditurus sit. Ipse enim nondum suspicatur vera, cum 1042 sq. memoriam versus 959 sq. repetat. Tam parva praesensio, qua gravissimae difficultates novaeque res effici possunt, personarum Sophoclearum propria est. Cf. Ant. vv. 220—222, ubi chorus et Creon omnia praeter verum coniectant. Neque enim chorus omnino probabile putat quemquam Polynicem condere ausurum esse, cum Creon quosdam pecunia corruptos id agere posse existimet. De Antigona nemo cogitat.

Posthac videamus, quomodo inimicus in scaenam producatur. Primum, quod ad eum pertinet, est *ἐχθρὸν φῶτα* 1042. His verbis iam efficitur, ut maxima exspectatione erecti simus. Nam nondum verus inimicus cernebatur, quia Ulixem (1—133) clementem et pium cognovimus. Atque spectator facillime sentit illum

---

1) Sophoclem in Trach. hoc non satis respexisse constat. Nam personae Deianirae et Herculis se obscurant praecipue extrema fabula. Unitatem personae in Aiace servatam esse vide altero capite.

2) Cf. Eur. Phoen. 1584 sq.: *οἴκτων μὲν ἤδη λήγεθ', ὡς ὥρα τάφου | μνήμην τίθεσθαι* cum loco Aiacis.

ἐχθρὸν φῶτα esse non posse Ulixem, cum in lamentatione funebri certamen monstratum sit, in quod Teucrum cum adversariis Aiacis venire necesse est. Quis est inimicus? Menelaus (1045). Observatio 1046: μαθεῖν γὰρ ἐγγὺς ὢν οὐ δυσπετής cum aliquo aculeo dicta esse potest. Cogitandum est enim Menelai formam atque habitum corporis notabilem esse et respondere arrogantiae ac stultitiae animi. Itaque Germ. versum ita fortasse vertere possimus: „Ich seh' schon. Er gehört ja zu den Leuten, die man nicht leicht misskennt, wenn sie vor einem stehen"[1]). Iam his verbis perducimur, ut Teucri consilio ac prudentia confidamus. Nam tranquille loquitur, ne aculeis quidem parcit, atque tranquillitatem, quae, cum periculum immineat, etiam sale non careat, principem victoriae condicionem esse constat. Cum hac tranquillitate autem verba Menelai 1047 sq. componamus. Res non caute inquirit, quod vero prudentis fuisset pugnatoris, sed superbia et odio commotus statim mortuum humari vetat. Primum autem orationis vocabulum est οὗτος, quod hoc loco contemptim usurpatum est atque Latinum ‚iste' significat[2]).

Ita vero Menelaum mediocrem neque gravem esse a poeta iam prima oratione subtiliter ostenditur. Neque enim iactatione aut inurbanitate victoriae reportantur, sed prudentia et aequitate. Haec aequitas etiam 1049 conspici potest in verbis Teucri. Nam minime asperam compellationem Menelai queritur neque iusso eius extemplo apertissimum consilium opponit, cum se Aiacem ad omnem eventum terra contecturum esse affirmare possit ut 1141. Quamquam ἀναλίσκειν voce, quae simul nostrum aufwenden et verschwenden designat, elegantissime dictum est, quid facere decreverit. Tranquille vero locum perscrutatur, in quo res agenda atque debellandum est. Quare fit quaestio 1049: „cuius personae gratia tanta verba consumis?"[3]) Neque igitur gloriosis vocibus: σὲ φωνῶ κτέ. fallitur, sed cum conicit Menelaum tantum fratris mandata exsequi, tum non ignorat verba Menelai nihil valere, si sua sponte loqueretur. Itaque quaestio duas res complectitur: primum Teucer sibi persuadere vult, num Agamemnon re vera sepulturam Aiacis impediturus sit, deinde autem Menelai venditationi illudit. Quae cum ita sint, Menelaus 1050 suum φωνῶ aliquantum mutare atque illustrare cogitur. Si rectissime illustrare vellet, dicere deberet:

---

1) Quamquam sine hac notione etiam verba non molesta censenda sunt. Cf. Oed. R. 84: τάχ' εἰσόμεσθα· ξύμμετρος γὰρ ὡς κλύειν. Facetiae autem congruunt cum indole Teucri.

2) Eandem vim suspicor El. 239 et 301.

3) Wolff. vertit: „Was ist der langen Rede kurzer Sinn?" τίνος igitur genitivum esse nominativi τί putare videtur. Quod ineptum esse ex iis cogo, quae Menelaus 1050 respondet.

Ἀγαμέμνων φωνεῖ vel δοκοῦντα (scil. ἐκείνῳ) ὃς κραίνει στρατοῦ. Sed cum de se ipso tacere nequeat, suam personam cum Agamemnonis persona confert atque adeo primo loco ponit. Denique Teucer eum interrogat, cuius rei Aiacem accuset. Quare inquisitio finita est, quod primum inspiciendum erat, quis esset adversarius, deinde quae tela teneret, ut impetum facere posset. Hoc autem Menelaus oratione 1052—1090 explicat.

Sed antequam cogitationum ordinem investigo, unam disputationem praemittere expedit. Nam quaeritur, num Menelaus etiam nomine ac verbis Agamemnonis loquatur. Hoc ut affirmemus, sententia postulari videtur, cum vv. 1052—1065 ita se habeant, ac si ab imperatore ipso Menelao iniecti sint. Praeterea ex v. 1050 intellegimus Agamemnonem cum Menelao plane consentire. Itaque fieri potest, ut ἐξηύρομεν 1054, ἡμεῖς 1058 etc. non solum ad Menelaum, sed etiam ad fratrem eius spectare existimemus. Neque tamen verisimile puto Menelaum sibi Agamemnonem hic coniungere. Nam primum Menelaus ad ipsum rogatum 1051 respondet, quod ad eum solum pertinet. Itaque aptum ac proprium est Menelaum de se tantum dicere, praesertim cum iam compertum habeamus eum se libentissime Agamemnone non commemorato eum praebere, penes quem summa potestas sit. Deinde autem ex ἐμῶν 1070 apparere videtur pluralibus ἐδυνήθημεν, ἄρξομεν neminem designari nisi Menelaum. Etenim οὐ γὰρ — ἐμῶν causa est antecedentium vel potius propositionem εἰ γὰρ βλέποντος κτλ. redintegrat atque amplificat. Quamobrem si etiam Agamemnon in ἐδυνήθημεν inesset, certe pro ἐμῶν ἡμῶν exspectandum esset. Denique vero responsum Teucri 1097—1108, quo Agamemnonis non mentio fit, testis est mei arbitrii[1]). Qui putant — ac quoad vidi, omnes hoc putant — Menelaum usque ad v. 1069 etiam fratris nomine loqui, adiguntur, ut, cur Teucer Menelaum solum respiciat, causas quaerant. Schneidewin. in praef. p. 57 ita dicit: „Dass Menelaos zugleich im Namen Agamemnons geredet, hat Teukros überhört.“ Neque autem fortuita in fabula accipienda sunt, si aliter res explicari potest. Verisimilius esse putarem Teucrum consulto de Agamemnone non recordari, quippe cui Aiacem ex ulla parte non subiectum fuisse demonstrare vix posset. Ita primo, cum ego quoque Agamemnonem et Menelaum pluralibus significari putarem, rem explanare studui; sed nimiis difficultatibus repudiatus sum. Ac postea manifestius futurum esse spero sententiam, quam supra nuntiavi, nisi inopinato quaedam obstent, praeferendam ac solam probandam esse. — Quare facere non possum quin illa pluralia pluralia maiestatis censeam. Quae

1) εἶθ' ἅτερος στρατηγός 1109 refertur ad 1050.

cum moribus Menelai aptissime conferri possunt. Nam in hac oratione gravissima, quae cogitentur, iura sibi arrogat, parissimum se gerit Agamemnoni, ut verborum granditas facile comprehendatur eo magis quod cum praecone venit (cf. 1115)[1]), ut edictum vel udicium nuntiaret. Quamquam 1067 sqq. omne ius ablatum est.

Nunc ad orationem ipsam disserendam venio. Primi tres versus accusationem continent: ille amicus noster esse debebat atque inimicissimus exstitit. Quod v. 1055 sq. argumentis confirmatur, cum vv. 1057—1061 tantum epice adiecti sint, ut condicio utriusque partis aperta fieret. Deinde 1062—1065 poena statuitur.

Hactenus omnia recta sunt neque quidquam monendum est, ut praetermittam, quod orator se imperatorem et iudicem mira iactatione ducit. Magna enim diligentia ac subtilitate utitur, ut Teucer directis verbis contra eum nihil grave dicere possit. Nam cum Aiax principes Achaeorum interficere voluerit (*νύκτωρ ἐπεστράτευσεν ὡς ἕλοι δόρει* 1056), iure aetatis heroicae cum eo agere licet, quo sancitum erat, ut qui tale vel simile scelus commisissent, capitis damnarentur et proicerentur. Sed postquam Aiax ipse manus sibi intulit, saltem altera pars usitati iudicii non neglegenda videtur esse[2]). Quare Menelaus, si prudens esset, taceret et responsum Teucri opperiretur. At cum superbia et inimicitiae eius omni consilio et modo careant, Teucro potestas datur eum vehementissime et iustissime lacessendi. V. 1066 Menelaus: „propter haec", inquit, „non opus est te magna ira exardescere". Quare Teucer, cum ingens poena nuntiaretur, animi motum iactatione et gestu exhibuisse videtur. Quod cum Menelao gaudio sit, gravitatem atque severitatem iudicis amittit et prae se fert propriam naturam atque indolem. *Εἰ γὰρ κτέ.* 1067 adiunguntur re vera versui 1065, quod ex *πάντως — ἄρξομεν* 1068 apparet, quia *πάντως ἄρχειν* in libere Aiace tractando i. e. proiciendo consistit. Videmus igitur vv. 1067—1070 novam causam continere ad confirmandos vv. 1064 sq.: „Aiax

---

1) A. Schoell., qui v. 1115 interpolatum iudicat, Menelao praecones concedere non vult. Cf. contra Wolff. ad 1047 et Nauck. ad Phil. 45. Schneid. ed. II. comparat Phil. 983. Hoc praecipue loco praeco deesse non potest.

2) Cf. de hac consuetudine aetatis her. F. G. Welckerum Rh. Mus. 1829 p. 254, ubi alia exempla annotat: Aesch. Sept. 1014, 1023, Soph. Ant. 203 sqq., El. 1488, Philostr. Heroic. X, 7 et Leop. Schmidt., Ethik der alten Griechen Berl. 1882 II, p. 107 sq. Iure Attico etiam postea corpus mortuum proditoris aut extra fines eiectum aut feris traditum esse indicant Meier et Schoemann, Attisch. Prozess p. 343, deinde L. Schmidt l. c. II, p. 103 sq.

non humandus est, cum vivus mihi non obediret"[1]). Quomodo haec cum vv. 1052—1065 comparari possunt? Ibi Menelaus illud scelus consideravit, quo Aiax mortem Achaeorum petivit, ita ut poena crimini responderet. Hic enarrat Aiacem sibi dicto non audientem fuisse. Quod primum ex rebus praesentibus non promptum, minime coniunctum est cum malefacto, de quo tum agitur. Deinde autem nihil est, cur ea de causa mortuus Aiax dehonestandus sit. Neque enim, etsi sexcenties ei non paruisset, propter hoc ipsum eum sepultura orbari liceret.

Ita igitur cogitata Menelai perspicimus veraque fiunt verba Oed. C. v. 1187 sq: — *τά τοι κακῶς | ηὑρημέν' ἔργα τῷ λόγῳ μηνύεται.* Menelaus enim calamitate ac miseria Aiacis, qui se ei subicere nolebat neque arrogantiam eius fovebat, maxime laetatur adversariumque, postquam defendere se hic non iam potuit, deformare statutum habet. Aiacem lege humana propter caedis consilium puniendum esse hoc loco minime dicitur. Immo vero altera causa a priore alienissima est atque eam dissolvit, si non rem ipsam reputamus, sed mores iudicis. Nam haec nova causa proficiscitur ex animo ac natura eius et postea redit, cum Menelaus vulgares inimicitias praedicet, quae ante facinus Aiacis iam inter eum et se exortae sint (1132—1136; cf. ibi exponenda). Sed prior causa tantum 1126, 1128 leviter atque inepte attingitur, quamquam saepissime et gravissime praedicanda erat. Res igitur haec videtur esse: Menelaus Aiacem iam pridem odit, qui voluntati suae nunquam obtemperaturus esset (1069 sq.). Cf. etiam Teucri verba 1111—1114. Itaque iam antea, cum certamen esset, cui arma Achillis vindicarentur, iniusta contra eum machinatus est (1135). Semper autem occasio defuit inimicum domandi et delendi. Tum adest: Aiax principes Achaeorum interimere consilium cepit, ita ut omnes in eum exacerbati sint (cf. 723 sqq.). Hoc consilium[2]) a Menelao praetexitur, quod ille propter leges poena afficiendus sit; sed superbia et immodico gaudio commovetur, ut 1067 sqq. veras cogitationes detegat. Atque ita facta eius ut Creontis Antigonei non legitima, sed arbitraria et insolentia sunt.

Cum igitur rebus praesentibus contentissimus sit, 1071 sqq. mira quadam tranquillitate atque impudentia copiose explanat, quam perversum sit hominem plebeium magistratibus parere

---

1) De usu alteram causam postea afferendi, cum ex priore causa necessaria iam effecta sint, cf. ea quae de vv. 1111 et 1250 sqq. dicenda erunt. *Εἰ* aequiparat hoc loco Latinum quod, quandoquidem. Cf. Viger. Hermanni p. 504.

2) Videlicet inimicitiae Menelai eo etiam auctae sunt.

nolle[1]). Enuntiatio relativa *ἔνθα μὴ κτέ.* 1074 non directis verbis cogitationem v. 1072 repetit. Simpliciter enim ad priora adiuncta esset, si hanc formam haberet: *ἔνθα μηδεὶς δικαιῷ τῶν ἐφεστώτων κλύειν.* In locutione autem *μηδὲν δικαιοῦν* 1072 sententia inest eum, *ὃς μηδὲν δικαιοῖ*, neque leges neque principes timere. Itaque notio timoris in vv. 1074 et 1076 transfertur. Versibus 1073—1076 antecedentia *κακοῦ πρὸς ἀνδρὸς κτέ.* confirmantur: malum enim hominem dicere licet, quod immodestia et contumacia maxima discrimina domi militiaeque fiunt. Contra 1077 accedit ad v. 1072. Directa oppositio haec esset: *ἀλλ'ἄνδρα χρὴ δικαιοῦν τῶν ἐφ. κλ.* Sed vv. 1073—1076 tantam vim habent ad formam commutandam, ut non verecundia (*δικαιοῦν*), sed timor magistratuum (*δέος, φόβος, αἰδώς*) prematur. Ut 1071 sq. versibus 1073—1076 probantur, ita firmantur vv. 1077 sqq. versibus 1079 sq. Oppositiones autem 1071 sq. et 1077 sq. una cum argumentis suis elegantissime formatae sunt. Nam sensus versus 1071 sq. negans est neque minus sensus argumentationis 1073 sqq., quae ad eos pertinet. Sensus autem versus 1077 sq. ait ut argumentationis 1079 sq. V. 1081 Menelaus ad 1073 sqq. revertitur, quorum cogitationem hoc loco auget ac perficit[2]). Schoellius vituperat, quod praeceptis logices violatis in 1079—1083 diversa essent subiecta, cum enuntiatum 1079 sq. diceret de uno, oppositum 1081 sqq. de tota re publica conservandis. Quare versus delere vult. Neque autem opus est versui 1079 sq. directam oppositionem adiungi, quod Menelai praecipue interest, ut n o n obedire, cum respublica eo pereat, perversissimum esse demonstret. Itaque *ὅπου δ'ὑβρίζειν κτέ.* laxissime antecedentibus oppositum est, ut Germ. fortasse adicere possimus: „um auf das Frühere zurückzukommen.“ Menelaus enim, cum versus 1073 sq. inprimis praedicare velit, adducitur ut sententiam eorum extrema oratione amplificatam repetat. Neque negari potest Sophoclem hic mores Lacedaemoniorum, qui omnia ad timorem libentissime referebant, magno studio descripsisse.

Quid autem de tota oratione 1067—1083 censeamus? Qua Menelaus primum exponit Aiacem vivum sibi non paruisse, cum 1050 ipse concedat se non exercitui praeesse, id quod Teucer postea etiam magis illustrat (1097 sqq.). Itaque cum Aiacem *ὕπαρχον* suum iudicare ac tractare nequeat, quia obsequium eum postulat, facere eum *δημότην* (1071) cogitur. Simul vero toto

---

1) Cf. Ant. vv. 661--676, ubi Creon de *πειθαρχίᾳ* et *ὑπερβασίᾳ* similiter disserit.

2) Cf. Oed. C. 1534 sqq.: — *αἱ δὲ μυρίαι πόλεις, | κἂν εὖ τις οἰκῇ, ῥᾳδίως καθύβρισαν. | θεοὶ γὰρ εὖ μέν, ὀψὲ δ'εἰσορῶσ', ὅταν | τὰ θεῖ' ἀφείς τις εἰς τὸ μαίνεσθαι τραπῇ.*

loco apparet Menelaum aliquando enisum esse ut Aiaci imperaret, qua cum re ironice dicta 667 sq. comparemus licet. Quomodo autem fieri potest, ut ad istum gradum insolentiae atque superbiae perveniret? Haud dubie cognoscimus duos Atridas artissimo vinculo esse coniunctos saepissimeque Menelaum ita se praebere ac si ipse esset Agamemnon (1047 sqq.). Agamemnon autem hoc iniuste pati videtur, quo fit ut ab aliis quasi una persona interdum habeantur et semper sermone coniungantur (189, 250 sqq., 390, 621, 718, 946 sqq.)[1]. Etiam ex 668 cogi posset Menelaum Agamemnoni parem esse. Sed Teucer postea licentiam et arrogantiam Menelai optime impugnat fereque terminos iis ponit. Neque vero, cum Aiax minime ἀνὴρ δημότης sit, loci communes 1073—1083, quamvis magna amoenitate et facundia dicti sint, ad rem pertinent. Quantopere autem ex corde atque natura Menelai profecti sint, perspicere possumus, cum paullo post (1088) sibi non constet. — Digni sunt qui notentur imperativi ἐπίστασο 1080 et νόμιζε 1082. Quibus Teucrum graviter commonefacere vult, ut verba sua animo reputet, cum et ipse suae voluntati neque voluntati magistratuum obsequi velit. — Vv. 1084—1086 summa cogitationum repetitur, sed v. 1085 sq. re vera Aiacem spectari manifestum est: qui antea gaudebat, quod suo arbitrio obtemperare posset, sive oratorem inobedientiam eius sive caedis consilium ante oculos habere putamus. Sed res mutata est, ut tum in summa miseria versetur. Ita 1087 sq. aptissime cum antecedentibus coniungi possunt: ἕρπει παραλλὰξ ταῦτα i. e. τὸ δρᾶν ἂν ἡδώμεθα et τὸ ἀντιτίνειν ἂν λυπώμεθα, primum voluptas, deinde dolor, primum fortuna prospera, deinde adversa. Verbis πρόσθεν κτέ. autem praesentia accuratius respiciuntur. Nam prior pars πρόσθεν — ὑβριστής attinet ad δρῶντες ἂν ἡδώμεθα. Quare coniciendum sit alteram hanc fere sententiam habituram esse: nunc autem in mala praecipitavit maximoque dedecore cumulatus est. Scilicet autem talis observatio simplicior neque satis infensa aut elata fuisset. Quare Menelaus ita opponit: „nunc autem ego superbio“. Si Germ. rem explanare velimus, dicere possimus: „der objektive Gedanke ist subjektiv gewendet“. Nam cogitationem ac sensum eadem esse elucet.

Menelaus minime sentit, quantopere his verbis se ipsum ludificetur. Etenim si quidem loquitur: νῦν δ' ἐγὼ μέγ' αὖ φρονῶ, secundum explicationem 1085 sq. ἕρπειν παραλλάξ etiam cum eo conferendum est. Atque vero cum tum laetetur atque insolenter glorietur, brevi post a Teucro frangitur atque minuitur magnaque ignominia scaenam 1160 relinquit. Praeterea quia adest (cf. posteriores pp.), cum Agamemnon, ut Aiax sepeliatur,

---

1) Cf. etiam Phil. 387 sqq., 873, 1024, 1285.

licentiam permittat, triumphus inimicissimi ei videndus est. Si etiam remotiora adhibere volumus: Teucer eum 1389 sqq. exsecratur, quod fratrem sepultura orbaturus erat. In orbando autem laetitia Menelai constitit. Sed cum exsecratio Teucri ex aliqua parte expleatur, postea domum reversurus moleste ac diu fluitat, quod quidem ipse non minus inscius 1142—1146 indicavit[1]).

Oratione ita explanata non intellego, cur Schoellius magnam partem non a Sophocle profectam esse iudicet[2]). Nam si animum oratoris, ἠθοποιίαν investigaverimus, in recensendo vix libidine quantumvis arguta uti cogemur. Concesssum mihi sit, ut nonnulla Schoellii crimina hoc loco inquiram. Qui 1071—1076, 1079—1086, 1089 sq. uncis includit, quod forma atque sententia ineptae sint. Aiacem δημότην 1071 appellare non superbi, sed inficeti atque absurdi hominis esse. Ut concedam: cur Schoellius tum non etiam priora οὐ γὰρ — ἐμῶν addubitavit? Nam si Menelaus de viro aequo et pari nuntiat: mihi vivus non obediebat, hoc perinde absurdum et ridiculum videtur esse atque si eum plebeium nominat. Sed utraque locutione idem exprimitur et vox δημότης rectissime emanat ex enuntiato priore (cf. p. 8). Quid autem de fatuitate dicendum est? Si vero a Menelai moribus non abhorret, minime repugno. Tamen differentia quaedam conspici potest. Considerandum est enim eum inimicissimum, qui semper personam suam spernebat (666 sq., 1114), maxima miseria prostratum videre. Itaque in animo Menelai exsultatio et malevolentia gignuntur, ut verba sua non iam examinet et mortuum appellet δημότην, pro quo vivum habere vehementissime cupivit. — Deinde Schoellius verborum sonitum vituperat, qui invenitur 1071 (πρὸς ἀνδρὸς ἄνδρα δημότην), 1085 sq. (ἡδώμεθα — λυπώμεθα), 1089 sq. (θάπτειν — θάπτων). Pro ἀνδρὸς ἄνδρα Reiskius scripsit ἀνδρὸς ὄντα, quod a Nauckio acceptum est. Sed iure annotat Seyff. prius ἀνδρὸς hominem, alterum ἄνδρα cum δημότην coniunctum vulgari consuetudine personam civilem describere. Confero ἀνδρὶ δημότῃ Ant. 690. Praeterea Lobeck. exemplis ex Aesch. Ag. 1638, Eur. Jon. 578 promptis persuadet nobis veteres tali iteratione non offensos esse. — Neque locutio θάπτειν — θάπτων mihi magis mira videtur esse quam Phil. 1219 sq.: — στείχων ἂν ᾖ σοι τῆς ἐμῆς, εἰ μὴ πέλας | Ὀδυσσέα στείχοντα — | ἐλεύσσομεν, ubi M. Schmidt et Nauck. repetito στείχων iniuria offendunt. Magis etiam quadrant duo versus Electrae 171 sq. (ποθεῖ, ποθῶν δ'οὐκ), 319 (φησίν γε, φάσκων δ'οὐδὲν —). Omnino sermone pleno Sophoclem

---

1) Cf. Schoell. Uebersetz. u. Erklär. d. Ai. p. 88 sqq.
2) ibid. p. 80 sqq.

libentissime uti cognovimus ex Phil. 1027, Ant. 156 sq., Oed. R. 60 sq. (*νοσεῖτε πάντες, καὶ νοσοῦντες, ὡς ἐγὼ | οὐκ ἔστιν ὑμῶν ὅστις ἐξ ἴσου νοσεῖ*), 222, 255, Trach. 651. – Etiam mirum est quod Schoellius in simili sonitu verborum 1085 sq. argumenta corruptionis conspicit. Cf. Ai. 807 sq.: *ἠπατημένη* | — *ἐκβεβλημένη*, Eur. Med. 407: — *ἀμηχανώταται* – *σοφώταται*. Subesse possit parva neglegentia, qua optimus quisque poeta vacuus esse non solet et quae fortasse reperitur in omnibus iis versibus qui eadem syllaba finiuntur; cf. Ai. 1078 sq., 1099 sq., Oed. R. 76 sq., 100 sq., 333 sq., 395 sq., 612 sq., 666 sq., 732 sp., 764 sq., 960 sq., 965 sq., 1457 sq., 1513 sq., Oed. C. 20 sq., 273 sq., 775 sq., 777—779—781, 787 sq., 804 sq., 897 sq., 900 sq., 905 sq., 962 sq., 1415 sq., El. 589 sq., magis etiam in versibus Oed. R. 1110—1112 (*πω* — *δοκῶ* — *μακρῷ*), Trach. 847—851 (*χλωρὰν* — *ἄχναν* — *δολίαν* — *ἄταν*), 947—949 (*ἐπιστένω* — *περαιτέρω*, *δυστάνῳ*), nisi quis poetae consilium his extremis locis suspicari mavult. Quare cum iam arcessitum et molestum videatur esse propter aliquid id genus, etsi forsitan summae arti minus conveniat, versus qui semper Sophoclei habebantur, in dubitationem vocare, tamen arbitrer hic non exstare neglegentiam, sed subtilitatem atque poetam consulto illum sermonem Menelao attribuisse cuius quippe vanitati et ostentationi plane respondeat. Si putemus poetam iam natu grandiorem hanc fabulam retractavisse, oratione Menelai extrema facillime Gorgiam sophistam imitari potuerit, cuius sermo in Plat. Symp. orat. Agathonis p. 194E—197E intellegitur. Talis descriptio morum non aliena esse debet a Sophocle, qui artificia bene novit neque dubitat artes suas elegantissime proferre. Alliteratione saepissime utitur; cf. Trach. 431 sqq., El. 197 sq., 210, 365 sq., 714, Ai. 687 sq., Oed. C. 1085 sq., 1196, 1203, 1236 sq., 1527, Ant. 595, 951, Phil. 79 sq., 296 sq., 1430 al. Sigmatismum vides Oed. R. 425, quo magni aculei exprimuntur. Praecipue autem pingit, ut ita dicam, redintegratis iisdem vocalibus Oed. R. 606 sq. (— *μή μ'ἁπλῇ κτανῄς* | *ψήφῳ, διπλῇ δέ, τῇ τ'ἐμῇ καὶ σῇ λαβών*) similemque sonitum verborum magna prudentia adhibet Oed. R. 694, Ant. 338 sq., Ai. 811, 844. Ergo cum poeta decora artis omnino non aspernetur, cur eum loco Aiacis commemorato ea aspernatum esse iudicemus, ubi plurima ac gravissima proficiunt? — Denique Schoellius aegre fert, quod Menelaus verbis *νῦν δ'ἐγὼ μέγ'αὖ φρονῶ* utatur, cum paullo ante tam pie et religiose disseruerit. Quomodo eum a se dissidere et ab omnibus etiam levissimis logicae praeceptis. Neque autem haec cum Menelao artissime componenda sunt. Nam si in sententia staret, post sequentem orationem (1093—1117) etiam iis, quae 1052—1065 exposuit, aptius uteretur. Res autem ita explananda videtur esse: iam

diximus piissima illa 1071 sq. re vera hic esse iniusta, cum ad Aiacem minime pertineant. Ac vero ficta et momento temporis exorta sunt, ut cum moribus Menelai non valde conferri possint. Simulatque igitur 1087 ad calamitatem inimici revertit, vera indoles perspicitur. Et haec quidem tota odio, exsultatione ac malevolentia regitur. Quare facere non possum quin oratione ita composita poetam secretissimas animi humani leges excellentissime observasse et depinxisse putem. Ita etiam magis comprehendimus Menelaum a Teucro postea contemptissime tractari. Praeterea quaeram, ubinam γνῶμαι σοφαί (1091) invenire possimus, si cum Schoellio γνώμας σοφάς exstinguere audeamus? An putamus chorum hac locutione solum duos versus 1077 sq., quos Schoellius Sophocli assignat, describere? Immo vero 1091 sq. totam orationem respicit, cuius propria non imprudenter intellexit. Nonnulla alia probra contra vv. 1077 sqq., 1084 sqq. ex parte iam antea tacitus refellere studui.

Oratio ita fortasse disponi potest:

I. 1052—1065: Menelaus Aiacem iuste in ius vocat;
  a. accusatio instituitur et firmatur (1052—1056);
  b. praesens rerum condicio exponitur (1057—1061);
  c. iudicium fit (1062—1065).

II. 1067—1090: Menelaus post 1066 iterum Aiacem in ius vocat, sed iniuste;
  a. altera accusatio instruitur argumentisque comprobatur (1067—1086);
  b. praesens rerum condicio exponitur (1087 sq.);
  c. iterum iudicium fit, cum Teucer admonetur, ne Aiacem sepeliat.

Videmus igitur duas orationis partes similiter formatas esse, quarum prior confecta disputatio est, quam suppleri non oportet. Ad alteram Menelaus postea superbia atque gaudio perductus est, ut quasi nova oratio exoriatur cum priore vix interno vinculo cohaerens. Talem dispositionem a Sophocle saepius adhibitam esse perbrevi nobis persuadebimus.

Quod attinet ad rem, haec oratio miram farraginem complectitur: ius et arbitrium, gravitatem et vanitatem, consilium et socordiam, fictam fortasse pietatem et ingentem arrogantiam. Quibus inter se mixtis nescio an homo simplex facile opprimi possit. Nam priore parte explanata haud dubie legibus probata sunt et altera, quamvis levis sit, tamen locorum communium, qui separatim considerati rectissimi sunt, tantam copiam continet, ut iis occaecatus oratorem non perversissime iudicavisse facile censeat.

Teucri oratio incipit v. 1093. Is vero minime verbis Menelai opprimitur aut occupatur, sed gravitate ac severitate responsionis

demonstrat se adversarium cognovisse. Contra enuntiata 1052—1065 simpliciter nihil dici potest, si reputamus Menelaum re vera edictum Agamemnonis pronuntiavisse. Per ambages Teucer rectissime explicare possit in Aiace humando non principum asperas leges, sed praecepta deorum et humanitatis observanda esse (cf. 1332—1345). Quod argumentum Teucro notum esse ex postea dictis (1110, 1125, 1129 sqq.) apparet. Neque tamen, cum fratris contumaciae haudquaquam expers sit, controversiam componere studet indulgentia apertisque verbis declarat se profecto Aiacem in sepulcro conditurum esse (1108 sqq., 1115 sq., 1141), etsi vitam amittat (1308 sq.). Sed hoc loco omnino supervacaneum est Teucrum vv. 1052—1065 accuratius considerare, quia commodius lacessendi a Menelao occasio ei data est. Nam Menelaus affirmat 1052 sq. inprimisque 1067 sqq. Aiacem sibi subiectum fuisse. Eodem modo edictum Agamemnonis, qui mortuum humari vetat (1050), ita nuntiat ac si ipse eius legitimus esset iudex. Quare si Teucer argumentis comprobat fratrem minime in Menelai dicione unquam fuisse, licet eum priorem orationis partem plane neglegere et iussa adversarii repudiare[1]). Iam videmus, quam iniqua sit Menelai condicio. Nam si clare et simpliciter dixisset se nihil nisi Agamemnonis iudicium afferre, Teucer hoc ita reicere non posset, quia Agamemnoni summa imperii tradita est. Tum necesse esset Teucrum imperatorem aut ad certamen vocare et loqui: non verbis eius impediar quominus fratrem carissimum sepeliam, aut benignitate et tranquillitate id agere ut eum de perversis consiliis convinceret. Utique ei res minus esset emolumento quam cum Menelaus tam male commodo suo serviret.

Instituit orationem, cum in universum nonnulla praemittit (1093—1096). Quae consuetudo etiam 1266 sqq. reperitur. Cum locutione *οἱ δοκοῦντες* Menelaum significet, vocibus *μηδὲν ὤν* haud dubie suam ipsius originem attingit, quod est *ὁ ἐκ δορὸς γεγὼς πολεμίου νόθος* (1013). Hoc loco autem elucere videtur Menelaum libentissime suum genus laudare, Teucro generis maculam obicere; cf. verba Agamemnonis 1228 sqq., ubi *οὐδὲν ὤν* 1231 huic *μηδὲν ὤν* respondet. Ex 1093—1096 Menelaus iam coniectare potest adversarium sibi dicere: *ἥμαρτες*, atque hoc *ἁμαρτεῖν* 1097—1106 illustratur.

Primum Teucer v. 1052 sq. perpendit, ubi *ἄγειν* voce Aiacem in condicione patiendi esse et extrinsecus affici monstratur. Quamquam cum verba ipsa fere extra culpam videantur esse (*ἄγειν* fortasse nostrum mitbringen), Teucer tantum postea dictis

---

1) Itaque schol. ad 1109 non accuratissime annotat: *τὸν περὶ τῆς ἐπιβουλῆς λόγον ἀποφεύγει, ὡς δυσανάτρεπτον.*

(1067 sqq.) adducitur, ut in ea suspiciosus sit. Vim *ἄγειν* verbi etiam auget adiciendo *λαβών* et utrumque verbum, cum sint gravissima, in extremis versibus collocat. Neque enim *λαβών* abundanter positum est, ut Germ. verti non oporteat, sed initium *τοῦ ἄγειν* et transerre in statum patiendi declarat: Aiax a Menelao sumptus est, ut Troiam duceretur, cum, nisi sumptus esset, immobilis fuisset[1]). Teucer autem *λαβών* voci v. 1099 opponit: sua sponte et voluntarius[2]) navem solvit, ita ut plane sui iuris esset i. e. etiam remanere poterat, quod attinet ad tuum *λαβών*. Animo igitur bene tenendum est hoc loco *ἐξέπλευσεν* exstare neque quidquam nisi *λαβών* refelli[3]). Cf. orat. Agamemnonis. V. 1067 sqq. Menelaus verba imperandi iactavit. Quare quaestiones exsistunt 1100 sq., quibus summum imperium eius denegatur (*σὺ* et *σοὶ* premuntur). Deinde Teucer affirmationibus 1103—1106 veram condicionem Menelai statuit.

Itaque cum Teucer fratrem in potestate Menelai non fuisse demonstraverit, manifestum est hunc minime ius habere de mortuo quidquam decernendi. Quod si Teucer tantum efficeret, non satis esset, quia Menelai interdictum ab Agamemnone probari 1050 enuntiatur. Quare postquam Menelaus Aiacem humari apertissime vetuit, oratorem, cum non minus aperte et confidenter affirmare debeat se mortuum nihilominus sepulturum esse, etiam ponderare opus est Agamemnonem aliquando iniquis consiliis in scaenam prodire posse. Neque autem in hac re argumentis niti potest, quibus contra Menelaum usus est. Certe concludere licet: cum Aiax tibi, Menelae, non subiectus sit, iussa tua neglegam mortuumque corpus condam. Sed inde non sequitur, ut etiam iussa Agamemnonis iure contemnantur. Quae cum ita sint, Teucer ea non colligit, quae ex 1099—1106 colligi possunt et ad Menelaum pertinent, neque verba sua coniunctione conclusiva ad antecedentia adiungit, sed 1108 sqq. simpliciter declarat se fratrem, utcumque res cadat, humaturum esse: hunc sepeliam, sive tu sive imperator vetatis, summo iure neque os tuum metuam. His autem duo expressa sunt: primum Teucrum fratri consulere velle, licet uterque Atrida obstet; deinde sepulturam iustam esse. Ubi igitur primum vocula *δικαίως* exstat, quae brevi post a partibus negatur aut affirmatur. Quam, cum

1) C. W. Solger *ἄγειν-λαβών* vertit: aufbieten. Quae vis fere inest in solo *λαβών*.

2) Cf. de hac potestate *αὐτός* Il. XVII, 251: *ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω*, Soph. Phil. 1332: *ἑκὼν αὐτὸς μόλῃς*, quae Nauck. vertit: freiwillig aus eigenem Entschlusse.

3) Idem iudicat Nauck. ad 1098.

ad hanc orationem non valde attineat, Teucer non accuratius illustrat, sed verbis *οὐ τὸ σὸν δείσας στόμα* animos nostros ad *εἴτε μὴ σὺ φῇς* (1108) advertit, ut tum demum necessaria ex 1099—1106 manifestissime cogat. Neque enim dubium est quin significare velit Menelaum nequaquam ius habere de Aiace quidquam constituendi. Tamen *οὐ τὸ σὸν δείσας στόμα*, quo illa sententia magis appareat, diligentius explicari opus videtur esse: Loco igitur additamenti tum 1111—1113 vox *δημότης* (1071) refutatur, quam una cum lata disputatione Menelai (1071 sqq.) orator iam 1107 sq. tetigit, cum v. 1114 haec designet: non solum in tua potestate non erat, sed ne minimo quidem studio tecum coniunctus, ut te quasi absentem aut mortuum duceret. Atqui tu officia ei vindicare et nunc ad arbitrium eum tractare vis?

---

1) Nauckius *πόνοι* 1112 dubium esse ratus *φόβου* legere vult, cum Morstadtius Progr. Schaffhausen 1863 p. 22 *πόθου* suadeat, quod a Mauritio Seyfferto postea acceptum est. Ut has coniecturas omnino omittam: quaeritur, num 1111—1114 perversam atque absurdam sententiam contineant. Nam Schoellius Uebersetz. p. 83 ita de his versibus loquitur: „Die Form ist grob und unrichtig zugleich; da der in Rede stehende Eid gerade die Verpflichtung enthält, dem Erkorenen der Helena Beistand und Kriegshülfe gegen jeden, der sie ihm entrisse, zu leisten. So hatte der Vater der Helena sämmtliche Freier schwören lassen, eh' er sie dem Menelaos gab. Wenn es also dieser Eid war, der den Aias zum Kriege verband, so ging er wegen des Weibes von Menelaos in Krieg und fallen in Wahrheit diese Motive in eins zusammen, die der Interpolator als entgegengesetzt vorstellen will." Difficultatem in eo esse arbitror, quod ex sententia mea falso interpunctum est. Nam notam, quae post *γυναικός* facta est, abesse oportet, ut verborum plenior compositio haec sit: *οὐ γάρ τι τῆς σῆς οὕνεκα γυναικὸς ἐστρατεύσατο ὥσπερ οἱ πόνοι πολλοῦ πλέῳ, ἀλλὰ τῆς σῆς οὕνεκα γυναικὸς ἐστρατεύσατο οὕνεκα ὅρκων.* Etenim *ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ* et *οὕνεκ' ὅρκων — ἐνώμοτος*, quae arte ad praedicatum pertinent, sunt sibi opposita. *Οὕνεκα* autem ita repetitum tolerabile est. Neque dubito quin *οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ* propterea dictum sit, quod appellatio vulgaris videtur esse: ‚*οἱ ἀεὶ μοχθοῦντες*' (Nauck.), ‚*οἱ πολυπραγμονοῦντες Λακεδαιμόνιοι*' (Matthiae). Nam leges Lacedaemoniorum pervolventes fere omnibus id peti videmus, ut cives laboribus, exercitatione inopiaque quam maxime idonei ad bellum fiant. Cf. Trieberi Forschung. zur spart. Verfassungsgesch. p. 1 sqq., quaest. Lac. locos diversos. Tum sententia manifesta est: „Aiax cum ad bellum profectus sit non ut ii, qui imperio tuo subiecti imperata fecerunt, sed iure iurando commotus, *δημότης* tuus nominari non potest." Seyfferto autem dubitatio: „Laboriosos cum defendit Gu. Wolff. itaque milites Menelai descriptos putat, non videt, ut alia omittam, iniuriam fieri Aiaci, qui cum gregariis compararetur", nunc praecisa videtur esse. — Tamen fieri potuisset ut Aiax Helenam liberare vellet fortasse propter Menelaum, quod eum magni aestimaret. Hoc negatur v. 1114: „neque Helenae causa ad bellum profectus est propter te etc."

Intellegimus argumentationem Teucri quasi per tres gradus descendere: maxima esset dicio Menelai, si Aiax esset ἀνὴρ δημότης. Minor dicio esset, si Menelaus principatum in exercitu teneret, atque minima vel potius nulla dicio in eo consisteret, ut Aiax studio in Menelaum bellum capessivisset. Quod igitur Teucer etiam hoc levissimum vinculum negat, fere supervacua dicit, ita ut nemo sanus Aiacem ex Menelao pependisse dicere possit.

Conclusio πρὸς ταῦτα — ἧκε ad totam orationem referenda est. Atque πρὸς ταῦτα πλείους δεῦρο κήρυκας λαβὼν — ἧκε sequitur argumenta de condicione Aiacis et Menelai. Verbis elegantissime irrisio significata est: licet tu sexcentos praecones circum te constituas, idem permanes neque te timeo. Si vero Menelaus aperte praedicavisset se iussa imperatoris nuntiare, Teucer vix praecones detrectare posset. Verba (λαβὼν) καὶ τὸν στρατηγὸν (ἧκε), quibus 1109 indicatur, eum non facturum fuisse arbitror, nisi provocato Menelao ad hoc adductus esset; neque enim ignorat Agamemnonem, qui exercitui praesit, temere non lacessendum esse. Exemplum infra inveniemus. Sed τὸν στρατηγόν, ut sensus perficeretur, in constructionem recipi oportebat, ut κήρυκας voci sine cavillatione adiunctum sit. Sententia quoque enuntiato sequente iam lenitur, cum vocula δέ Teucer apertum faciat se alterum Atridam non ita neglecturum esse.

Adolphus Schoell. etiam in hac oratione multa suspecta invenit et uncis circumcludit 1105 sq. et 1111—1117. Cum nonnullas observationes eius iam antea tacitus refellere studuerim, hic tantum v. 1105 sq. respicio. Schoell. l. c. p. 83 ita loquitur: „1105 f. ist sicher Zuthat, weil es dem Sinne des unmittelbar Vorhergehenden nichts zulegt und in der Anwendung („um Ajas Führer je zu sein") das, was V. 1097—1102 eingeschärft haben, lästig wiederholt." Aliquanto mitius Schneidewin.[1]) haec verba facit: „1105 und 1106 sind vielleicht als matte Variation des Vorhergehenden in Klammern zu schliessen." Nauck., cui Dindorf. adstipulatus est, praeterea vituperat, quod versibus inepte signetur Agamemnonem ius habuisse Aiaci imperandi. Quae omnia satis valere non existimo. Nam primum 1105 sq. non simplex repetitio est. Si Teucer dixit: „rex es Lacedaemoniorum, nobis non praees", nondum clare explicatum est, cur Menelaus imperium Aiacis et Salaminiorum non teneret. Nam Agamemnon quoque unius populi, Mycenensium, proprius dominus erat, simul autem communis dominus totius exercitus. Atque Teucer maxime id agere debebat, ut Menelai veram potestatem, quam iste obscurare vult, certissimis et accuratissimis verbis designaret.

1) Philol. IV, p. 474.

Voces autem, quibus omnia explanantur, sunt *ὕπαρχος* et *οὐχ ὅλων στρατηγός* (1105 sq.). Neque intellego, cur *ὥσι' Αἴαντος ἡγεῖσθαί ποτε* moleste repetitum sit, cum Aiacem subiectum fuisse Menelao vix satis possit negari. Et quibus denique causis non liceat concedere Agamemnonem potestatem habuisse Aiaci imperandi — vel ut diligentius loquar: Agamemnonem summae rerum praeesse? Quicumque de hac re dubitat, eum existimare apparet Teucrum imperium Agamemnonis negare. At tantum abest, ut hoc neget, ut eum 1116 *τὸν στρατηγὸν κατ' ἐξοχήν* appellet. Cf. praeterea ad 1312 infra explicanda. Praeterea quam ridicula talis negatio futura fuerit, constat. Immo vero, cum minime consilium fratris condendi eo firmet, ut Aiacem nullo imperio coercitum fuisse contendat, tantum Menelai iudicio optime recusato se etiam adversus Agamemnonem corpus humaturum esse praedicat (1108 sqq.). Vv. 1111—1117, quos Schoell. valde vituperat, spero fore ut explicatione mea aliquid defensi sint (cf. etiam verba chori 1118 sq.).

Orationem ita disponam:

- I. 1093—1110:
  - a. Aiax non sub Menelao imperatore bellum gessit;
  - b. Aiacem ad omnem eventum sepeliam.
- II. 1111—1117:
  - a. Aiax neque sub Menelao militavit neque ullo vinculo cum eo coniunctus fuit;
  - b. Non prohibeor quominus mortuum humem.

Neque obscurum est hanc orationem similiter dispositam esse atque orationem Menelai.

Cum tota argumentatio efficacissima et valentissima sit, Menelaus fit inconsideratus ac temerarius neque ullo iudicio rem suam gèrit. Nam quo elatiorem se ipsum praebuit, quo ineptiora, cum sibi dissentiret, ipse affirmavit, eo improvisior ei accidit acris et constans censura Teucri, eo magis affligitur atque opprimitur. Neque poetam hic intimas animi humani latebras pervestigavisse quemquam fugiet. Superbiam enim et iactantiam nihil valere manifestissime indicatur, si a viro strenuo et stabili detegantur et nudentur. Menelaus, si cum animo uteretur praesenti tum ratione iusta (1052—1065) vere perfusus esset, haud dubie ignominiam suam perferret ac devoraret, sed Teucro obiceret leges facinusque Aiacis. Videbimus autem necesse esse eum paene cum vi malefacti illius admoneri et tum rem suam tam male gerere, ut semper caput omittat statimque a Teucro ad alia, quae minus rei conveniant, traducatur. Cum maxime nudatum suum latus, superbia et arrogantia vulnerata sit, tan-

tum sentit ab eo se comminutum esse quo ad id tempus multo superiorem se iudicaret.

Quare verba existunt 1120, quibus asseverationi adversarii illudere vult. Sed consentaneum est Teucrum nequaquam aegre ferre, quod ille a proposito ita aberret sibique commodam victoriam paret. Quam ob rem 1121 artem suam pugnandi laudat. V. 1122 Menelaus incepta persequitur, cum adversarium se defendere coactum esse neque difficulter oppugnari existimet. Teucer autem statim paratus est et responso 1123 dignissimam gravitatem fortasse cum aculeis quibusdam exprimit. Nam disputationem eorum subtiliter attingi verisimile videtur esse. Menelaus enim est ὡπλισμένος, cum egitimo iure iam uteretur, quod ut scutum obtendere posset. At Teucer nondum gravia arma adhibuit, quae in praeceptis deorum consistunt. Et tamen adversario optime repugnavit. Sed cum Menelaus 1124 significationem Teucri non comprehendat, hic imprudentiae eius pertaesus 1125 responsum dat, quod magis ad rem pertinet. Ubi prima stichomythiae pars finita est, quam cum propria lite minus cohaerere, sed propter mores pugnatorum et condicionem rerum necessariam esse apparet. Aliud Schoell. censuit, qui, cum 1121—1124 exstinguere velit, ita loquitur l. c. p. 84 sq.: „der »Bogenschütze« klang in der geschichtlichen Zeit der Griechen insofern verächtlich, als damals die Schwergewaffneten, deren geschlossene Reihen die Schlachten entschieden, freie Bürger, die Schützen aber, die ohne eherne Rüstung zu den Plänklern gehörten, aus den dienenden Klassen waren. Weil jedoch in der homerischen Welt der Bogen noch Heldenwaffe ist, in wichtigen Schlachtmomenten wirkend, auch bei Homer Teukros nicht minder schildführender Lanzenheld als gelegentlich Bogenschütz unter dem Schilde des Aias ist, so war es für den Tragiker zwar erlaubt, den Menelaus jenen Ausdruck mit einem Hauche von Geringschätzung brauchen zu lassen, nicht aber zweckmässig, ihn den Teukros, im Widerspruch mit der befestigten Eposvorstellung für einen rüstungslosen Kriegsmann geringer Art ausgeben zu lassen. Dies thut der Ueberarbeiter durch die unpassende Ausführung v. 1121 ff.“ Quae crimina sagacissima videntur esse. Tamen repugnare conor. Si Menelaus 1120 dicit: „sagittarius non parvos spiritus gerere videtur“, profecto significatur non decere sagittarium magnos spiritus gerere. Itaque poeta cum sua componendi libertate contemptionem artis sagittariae ex suis temporibus in tempora veterum transfert[1]). Neque

1) Similem translationem videmus Oed. C. 696 (ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ, cf. ann. Nauckii ad hunc versum), Oed. R. 240 (Nauck. ibid., qui praeterea affert v. 411).

autem spectatores Attici ignorabant praeteritis saeculis sagittam maxime aestimatam esse. Cf. schol. ad Il. XI, 385[1]). Quare si Teucer artem suam defendit, Sophocles tantum statuit veteres de nobilitate sagittae disceptavisse. Si Schoellius dicit Teucrum contra opinionem vulgarem ex carminibus epicis profectam non appellandum fuisse proeliatorem humilem, equidem puto hoc iam factum esse v. 1120. Qua opinione concedebatur, ut *τοξότης* et *οὐ σμικρὸν φρονεῖν* rectissime inter se coniungerentur neque aliena assent. Itaque si tota in animos Atheniensium penetraverat, iis iam v. 1120 haud dubie mirus erat, ut certe defensionem Teucri gratissimam iudicarent. — Sed cum 1122 v. 1120 aliquanto fortius repetatur, Teucer persuasum habet adversarium se irritare atque exacerbare velle. Quare postquam 1121 pro arte sua propugnavit, 1123 talia respondet, qualibus Menelaum magis quam responso directo vulneratum iri non ignorat[2]). Carminibus epicis deinde hoc loco discrepat quod Teucer solum *τοξότης* fingitur, cum in Homeri poemate etiam hastae peritus sit. Quod discrimen cur factum sit, facile intellegitur. Sed eo paratior sum vv. 1121—1124 Sophocli assignare quod impetus duorum Atridarum ita simillimi sint. Menelaus Teucro armaturam, Agamemnon 1228 sqq. ei originem obicit. Atque nunc hos locos componamus. Menelaus: sagittarius, inquit, es; Agamemnon: filius es mulieris captivae; Menelaus: magnopere te iactares, si scutum acciperes; Agamemnon: insolenter gloriareris, si natus esses de matre generosa. Dubito an haec similitudo a poeta consulto effecta sit. Certe ad similem Atridarum rationem pertinet. Sophoclem autem res eiusmodi observare fortasse iam simili orationum dispositione perspeximus[3]).

---

1) Procopius Pers. 1, 1. p. 6C: *τοῖς παρ' Ὁμήρῳ τοξεύουσι καὶ ὑβρίζεσθαι ἀπὸ τῆς τέχνης ὀνομαζομένοις ξυνέβαινε.* Commovetur Paridis convicio. Quod tamen nobilitati sagittae non officere clarum est. Argivi *ἰόμωροι* vocantur Il. IV, 242, XIV, 479. Neque autem in hoc verbo, etsi derivetur ab *ἰός*, contemptam vim inesse oportet. Cf. contra Riemerum Lob Ai. p. 444. Alii derivant ab *ἴον* et *μόρος* etc.

2) Recte schol. ad 1123: *τὰ τοιαῦτα σοφίσματα οὐκ οἰκεῖα τραγῳδίας*, si generaliter loquitur. Nam hoc loco verba conveniunt arti atque indoli Teucri, ut, cum hae postulentur fabula, non minus apta sint.

3) Conferri possit v. Ant. 1232: „*πτύσας προσώπῳ — ξίφους ἕλκει.* *πτύσας προσώπῳ* explanatur: cum vultu se abhorrere patrem exprimeret. Sed Nauckius recte interpretatur: (dem Vater) in das Gesicht speiend. Attamen si talem locutionem Sophocli vix assignandam esse iudicat, ei obsistere cogor. Cf. enim v. 653, ubi Creon filium ita adhortatur: *ἀλλὰ πτύσας ὡσεί τε δυσμενῆ μέθες | τὴν παῖδ' — νυμφεύειν τινί. πτύσας κτέ.*: sie wie eine Feindin ausspeiend, preisgebend. Neque obscurum videtur esse *πτύσας*, quod Creon filio suasit sponsae detestandae causa, ingenti ironia postea a filio ita usurpari, ut patrem detestetur. Quod maxime tragoediae convenit. Atque cum in conspectu sit *πτύσας* non fortuito

2*

V. 1126—1137 τὸ δίκαιον disseritur[1]). Verbis 1120 Teucer nondum ea respondit, quae rei ipsi accuratissime conveniunt. Sed 1125 Menelaum quasi vi cogit, ut ad propositum revertatur. Quaestio Menelai 1126 cum 1052—1065 conferenda est, sed forma ac species dignissimae sunt quae notentur. Nam si Menelaus ut severus atque integer legum custos verba facere vellet, ita fere dicendum ei esset: δίκαια γὰρ τόνδε κτεῖναι με ἐθελήσαντα μὴ δίκην δοῦναι; Sed ut leges diligentissime exerceantur, minus eius interest, quam ut cupiditati suae ulciscendi satisfaciat. Cum Aiace bene agi posse, hoc non comprehendit, hoc iniustissimum putat. Quare quaestio voce εὐτυχεῖν ita formatur, ut ad propria Menelai spectet. Neque Teucer simpliciter respondet, sed verba sua ad κτείναντα annectit, quod Menelaus non cautissime adhibuit[2]). Ex 1127 cognoscimus Teucrum et neglegentiam adversarii in suam utilitatem convertere et eum ludibrio habere. Menelaus 1128 se tuetur, cum deceat eum aggredi. Insequ. v. Teucer iterum magis proposito appropinquat et verba sua ad θεὸς — ἐκσῴζει με adiungit: si quidem a diis servatus es, gratiam eis referre neque nunc eos spernere debes. Vocula νῦν haud dubie designatur consilium Aiacem sepultura privandi. V. 1130 non pigeat inspicere, quomodo Menelaus adversus crimina Teucri se gerat. Cum hic impetus adversarii interdum

---

tam perspicuis et gravibus locis repeti potuisse, ita ut talis effectus eveniat, censere licet poetam ipsum versus 653 meminisse et consulto πτύσας προσώπῳ 1232 scripsisse. Tum autem coniecturam facere possumus de v. 653 et ponendum est pro δυομενῇ δυσμενεῖ. — Quare cum hic videamus Sophoclem locos bene comparare, etiam in locis Aiacis idem fieri potuit.

1) Quod ad dicendi genus attinet, hic saepius verba alterius ab altero repetuntur (1126, 1127, 1133). Cf. Ant. 741, 743, 744, 745, 755, spectatissima exempla Oed. R. 547—551.

2) Aoristus κτείναντα explicatur a grammaticis nostris: „Aiax interfecit eum, si consideramus logicam rationem; nam cum pecudes percuteret, putavit se principes percutere. Re vera eum non interfecit.“ Confertur Eur. Jon. 1500: ἔκτεινα σ' ἄκουσ'. al. Haec sententia probatur explicatione Menelai 1128: θεὸς ἐκσῴζει με, τῷδε δ' οἴχομαι (ἐκσῴζει με i. e. tutatus est et semper tutatur. De praes. οἴχομαι cf. Krueg, Griech. Sprachl. ed. 5. I. § 53, 1. 4). Schol. ad 1126 annotat: „ὅσον ἧκεν ἐφ' ἑαυτῷ“. τῷδε 1128 igitur est dat. relat. (Krueg. l. c. I. § 48, 5). Sed ex observatione Teucri 1127 apparet illam sententiam non cum necessitate comprehendendam et solum benigni atque amici esse eam statim probare. Itaque neglegentia quaedam vel nimia brevitas tali locutioni aspersa videtur esse. Certe Menelaus, si usus fuisset particip. imperf. κτείνοντα, tutior fuisset. P. N. Papageorg, Z. f. kl. Ph. 1883 pg. 412 affert verba scholiastae Laur. haec: ὁ μὲν εἶπεν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ (scil. Αἴαντι), ὁ δὲ τῆς φωνῆς ἀντιλαμβάνεται. Parum accurate igitur schol., quem laudat Th. Bergkius Griech. Literat. 1884 III. p. 380, ad 1126 annotat: τὸ δὲ τοιοῦτο κωμῳδίας μᾶλλον, οὐ τραγῳδίας.

evitet vel in suum commodum permutet, ille sibi ipse maxime nocet. Nam si cautus ac prudens esset, 1130 primum quaereret: ego deos spernam? At quo pacto? Deinde Teucer respondere posset: Cum leges eorum detractes. Ad quae denique interrogatio Menelai bene annecteretur, quae iam 1130 exstat. Menelaus igitur minime se continet; sed cum crimina alienae partis etiam augeat atque amplificet, Teucro impetum faciliorem reddit. Qui 1131 directum responsum dat.

Neque tamen τὸ δίκαιον satis explicitum est, ut Menelao, si pergeret recte atque exacte disceptare et praeceptis legum suarum ardentissime commoveretur, ita fere dicendum esset: ‚Concedo ex religione mortuos sepeliendos esse. Sed quaeritur, quales sint mortui. Nam si scelera commiserunt, ut legibus nostris fortunam sepulturae perdiderint, illud religionis praeceptum non pollet. Aiax autem tale scelus commisit. Ergo ius habemus eum a sepultura removendi.‘ Teucer deinde affirmare posset Aiacem una ratione peccavisse, sed omnibus aliis rationibus summae virtutis exemplum praebuisse et cum caedis consilium voluntaria morte expiatum esset, leges deorum rursus valere. Neque autem res ita geritur. Menelaus enim iterum priorem suae orationis partem (1052—1065) praetermittit et cogitata narrat, quae eo digna sunt. Nam haud dubie 1132 simplices inimicitias in se Aiacis respicit, quod explanatione 1134 demonstratur[1]). Defendit igitur (οὐ γὰρ καλόν;) illud abiectissimum iudicium, quo contenditur decere adversarium etiam post mortem laedi. Cf. 1346 sqq. Quae doctrina hic eo magis vituperanda est, quod ne proximum quidem scelus inimici, sed, ut ex ἐμίσει (1134) apparet, vulgares inimicitias designat, quibus ipse respondet (μισοῦντ')[2]). Itaque fit, ut magis alterius partis orationis

1) Schneid.: „τοὺς πολ., nämlich οὐκ ἐῶ θάπτειν· οὐ γὰρ καλόν, τοῦτο ἐᾶν“. Quae explicatio durior est. Assentior Doederleinio Abh. d. Bayr. Ak. 1832 pg. 127, qui post καλόν signum interrogationis ponit (sc. οὐκ ἐῶ θάπτειν· οὐ γὰρ καλόν;).

2) V. 1134. μισοῦντ' ἐμίσει Ald. ut vulgo, cum Barocc. AB., Mosq., Jen., Paris. G., Harl. ἐμίσουν praebeant. Quod commendant Brunckius, Bothius, Erfurdtius, Nauckius. Nauckius autem ἐμίσουν propterea laudat, quod ex consuetudine Graecorum participium μισοῦντ' maximam vim haberet, ut si μισοῦντ' ἐμίσει legeretur, odium Menelai magis praedicaretur, id quod ad quaestionem 1133 non pertineret. Exempla quidem affert ex Oed C. 1083 sq., Trach. 592, El. 551, Phil. 403 sq. Quae vix apta videntur esse. Nam primum θεωρήσασα Oed. C. 1083, quod ad κύρσαιμι refertur, participium praedicativum est. Quamquam locus ille non recte traditus est, ut Hartungius pro θεωρήσασα θέᾳ πλήσασα, Nauck. θέᾳ τέρπουσα proponant. Sed cum mendum in κύρσαιμι videatur esse, conicio: κορέσαιμι: ‚εἴθ' ἀελλαία ταχύῤῥωστος πελειὰς | αἰθερίας νεφέλας κορέσαιμι τῶνδ' ἀγώνων | θεωρήσασα τοὐμὸν ὄμμα‘ vel Germ.: ‚wenn ich doch als sturmgleiche, raschfliegende Taube des luftigen Gewölkes (im luftigen

admoneamur. Teucer, cum 1132 graviora et periculosiora significari putavisse videatur, illusionem 1133 non dimittit. Sed postquam interpretationem 1134 audivit, nihil cauti necessarium est et 1135 fortiter affirmat Aiacem suo iure eum odisse. Argumentatio recta est, sed non sufficeret, si Menelaus dixisset: *στράτῳ ξύμπαντι βουλεύσας φόνον νύκτωρ ἐπεστράτευσεν, ὡς ἕλοι δόρει* (1055 sq.). Cf. ea quae de moribus Teucri dicentur altero cap. Ita vero Menelaus commodo adversarii curavit et crimina opprobriaque perpeti cogitur, cum ipse Teucrum impugnare et coercere possit. Teucer autem defensionem eius (1136) neglegit, sed 1137 aliam culpam in eum confert, cum cogitationem 1135 a propriis temporibus avocet et ostendat Menelaum omnino

---

Gewölke) meinen Blick zuschauend an diesem Kampfe ersättigen könnte!‘ Syllabae longae vicem explere in canticis duas syllabas breves notum est (cf. Oed. C. 167, 548, 1739, El. 182 al.), et de *κορέννυμί τινά τινος* cf. Phil. 1156: *κορέσαι στόμα σαρκός*. *θεωρήσασα* tum participium adverbiale est. Nec minus reliqua participia, quae a Nauckio commemorantur, adverbialia sunt. Sed in loco, de quo nos disserimus, participium esse attributivum puto: scil. *ἐμὲ μισοῦντ'*. Ceterum ponderandum est Schneidewinum in ed. II. contrariam legem constituere ac Nauckium: „Nach griechischem Sprachgebrauche (Phil. 668) liegt in *μισοῦντ' ἐμίσει* nicht auf ersterem der Ton, und Men. will keineswegs eingestehen, dass er Anlass zu Aias' Hass gegen ihn gegeben habe“. Cui observationi ex sententia mea non obsunt Ai. v. 1328 sqq., cum ridiculum fuisset, si Agamemnon 1330 *ἔξεστιν* respondisset. — „Qui vero *μισοῦντ' ἐμίσουν* praeferunt, non vident hanc Menelai responsionem interrogationi antegressae non respondere“ (Seyffert.). Certe maxime mirum esset, si de tertia persona aliquid rogaretur et responderetur de prima. Cf. etiam v. 1135. — Cum igitur *ἐμίσουν* neque praeceptis grammaticis postuletur et repugnet connexui versuum, *ἐμίσει* servandum est, sed quaeritur, quo pacto *μισοῦντ' ἐμίσει* evolvamus. Neque Triclinii arbitrium probandum est, qui *μισοῦντ' ἐμίσει*, quod inepte diceretur, regia superbia excusare studet, quasi Menelaus pro mutuo odio observantiam posceret. Primum autem constare videtur *πολέμιος* v. 1132 sq. significare hostem. Wolff. annotat *πολέμιος* non solum hostem esse, sed etiam inimicum, indicatque Phil. 1302: *ἄνδρα πολέμιον ἐχθρόν τε*. Ubi ex *ἐχθρός* et *πολέμιος* coniunctis elucet Philoctetem Ulixem omnium adversissimum sibi esse affirmare velle, ut *πολέμιον ἐχθρόν τε* circuitio esse possit. Utique ex interrogatione Teucri manifestum fit, *πολέμιος* hic h o s t e m designare. Quae, nisi Teucer sermoni adversarii ut 1127 illudere vellet, haud dubie vanissima atque inanissima esset. Nam dementis esset rogare, num Aiax i n i m i c u s fuisset Menelai. Itaque rem ita explanem: *πολεμίους* 1132 temere pro *ἐχθρούς* positum est. Quare quaestio exsistit 1133. Menelaus autem, id quod locutione *καὶ σὺ ταῦτ' ἐπίστασο* probatur, haudquaquam sentit adversarium *πολέμιος* vocem ludificari, sed ita respondet ac si ipse dixisset *ἐχθρούς* et Teucer *ἐχθρός*. Eum *ἐχθρός* spectare efficitur explicatione: *μισοῦντ' ἐμίσει*. Sed satis respondisset, si locutus esset: *ἐμίσει με*. Nescio an pro *με* dixerit *μισοῦντ'* odio atque inimicitiis commotus, cum facere non possit quin, si quidem odium Aiacis in se commemoret, etiam se eum odisse exprimat.

secretum malefactorem videri esse[1]). Intellegimus igitur, quam prudenter Teucer rem suam gerat. Ubi primum accusator exstitit, utilitatem suam captans aliud crimen, ut adversarium fuget, celerrime adicit. Neque tamen verba 1137 serio dicta esse putem, quod mihi ex optativo potentiali elucere videtur.

V. 1137 disputatio de *δίκαιον* ad finem perducta est, ut complectatur duodecim versus. Priores sex vv. (1126—1131) rei conveniunt, cum altera parte de causa agatur, quae iure legitimo et cogitatione propria discrepat. Etiam ingressus (1120—1125) sex versus continet.

Menelaus 1138 se superatum esse invitus concedit. Neque enim quidquam iam demonstrat, sed usque ad discessum suum imperat ac minitatur, quod, cum impotentem et vanum eum invenerimus, maxime ridiculum est. V. 1138 ad praecedentem versum annectitur. Gravitate autem ac tranquillitate Teucri, quam videmus 1139, ad tempus commovetur, ut minas retineat. Sed quamquam persuasum habet frustra se locutum esse, tamen 1140 quasi desperatione ductus postremum repetit iussum, pro quo tam diu propugnavit: „*τόνδ' ἐστὶν οὐχὶ θαπτέον*". Et quid respondetur? „*ἀλλ' ἀντακούσει τοῦτον ὡς τεθάψεται*". Hic igitur est eventus adversi impetus. Idem interdictum Menelaus iam 1047 sq., simulatque prodiit in scaenam, nuntiavit. Ibi cautione adhibita Teucer non directis verbis respondet, sed necessarium putat naturam atque potestatem adversarii cognoscere nudaque latera exquirere. Qua cautione hic non opus est, cum Menelaus se arrogantem et infirmum praestiterit. Ubi primum verba faciebat, refellebantur, et contra firmum iussum Aiacem non sepeliendi Teucer firmissime praedicat eum sepultum iri. Itaque Menelaus supervacaneus factus est, cum se nihil proficere et devictum esse ei intellegendum sit. Restat tantum ut se recipiat, in qua re mente humili ac pusilla, malevolentia atque arrogantia adiuvatur. Cogitare possumus inter 1141 et 1142 brevem moram interiectam esse convenientem et connexui et consilio, quod sequenti comparationi (1142—1149) in animo Menelai antecedit. Tertium comparationis exstat in 1144 et 1149: *ἀνὴρ γλώσσῃ θρασύς* et Teucer comprimuntur eorumque linguae retunduntur. Ceterum duae comparationis partes dissentiunt, cum 1145 sq. solum exornandi causa adiecti sint, 1143 autem et 1148 diversas causas complectantur. Nam ille *ἀνὴρ*

---

1) Wolff. ad 1137: „Wenn auch die Entscheidung öffentlich als die des Gerichts auftrat, so konnte doch Menelaus durch Trug die geheime Ursache sein. *πολλά* z. B. Bestechung, Drohung, Ueberredung." Wolff. igitur putat, 1137 v. 1135 contineri. Tamen dubito, num illa cogitatio facile in 1137 inveniri possit. Probo Schneid. explanationem, quam supra narravi.

superbe se gessit, postquam χειμών, quo qüidem nondum cruciabatur, iam affuit; quod attinet ad Teucrum, χειμών exorietur ex parva nube. Locutione σμικρὸν νέφος Menelaus affirmationem Teucri designare videtur mortui humandi (1141). Quam iudicat ei ut parvam nubem videri esse, quae magnas difficultates afferre non possit. Sed, inquit Menelaus, ingratiora subsunt, cum ab hac nubecula ingens tempestas profectura et Agamemnon venturus sit, ut te gravissimis poenis afficiat. In hac latente autem significatione parva infirmitas inest, cum profiteatur se ipsum Teucro insistere non posse, sed minetur se alium arcessiturum et delatorem futurum esse.

V. 1150—1158 Teucer suum responsum dat. Similibus telis utitur atque Menelaus, tamen acutioribus. Menelaus enim comparationem adhibuit. Quae fere nimis comparatio est quam ut Teucer ea moveatur, cum artis praeceptis effecta, quia parum ad rem spectat, non satis valeat. Teucer autem specie simulatae comporationis nititur. Neque enim postquam 1150 ut Menelaus 1142 orationem incepit, duas seiunctas personas et actiones componit, sed de uno statu loquitur. Quod autem 1150—1156 aliena respici videntur, quae re vera praesentia esse adversarius facile intellegere possit, ei gravissime illuditur. Neque ita ullum verbum amittitur, cum unumquodque ad Menelaum pertineat eumque eo magis vulneret, quod forma explicationis explicatio eius acerbe detorquetur. Deinde pseudoparataxis Teucro aptissimam facultatem affert de Menelao dicendi, quid sentiat. Nam cum quasi alium significet, delectu omni et discrimine omisso eum comminuere et vituperare potest. Et Menelaum recte ab eo inspectum esse ex 1150 sq. apparet; μωρία enim et ὕβρις praecipua sunt Menelai menda. V. 1154 sq. Teucer minis adversarii (1147 sqq.) suas minas opponit. Dubium non est quin voce πημανούμενος affirmet Menelaum vindicta deorum punitum iri, si Aiaci humando resistat. Quae interpretatio v. 1154 comprobatur, cum τὸ μὴ δρᾶν τοὺς τεθνηκότας κακῶς deorum legibus praeceptum sit. Vim Teucri meminisse ut 1308 sq., decere non videtur. Ἄνολβον (1256) Nauck. recte per ἀνόητον illustrare videtur. Cf. annot. ad Oed. C. 800 sq. Quo modo Teucer novam victoriam e Menelao refert, qui ultionem imperatoris provocat, cum ipse iustitiam divinam, multo terribiliorem et certiorem, ostendat.

Atque Menelaus hoc responso dato in certamine perseverare minime cupit. Τὸ ἀπιέναι 1159 non voluntarium, sed rebus coactum est. Tamen videmus Atridam, quamvis adversa pugna evenerit, postremo superbissimum se praebere. Nam 1159 sq. ita nuntiatur ac si τὸ βιάζεσθαι in eius manibus esset, cum nihil facere possit nisi τὸν Ἀγαμέμνονα πείθειν, ἵνα βιάσηται. Magna

autem arrogantia atque amentia reperitur in λόγοις κολάζειν, quod minus Menelai erat quam λόγοις κολάζεσθαι. Ita Menelaus non ad virtutem revocatus de scaena abit permanente priore consilio, cum frater eius, antequam scaenam relinquat, sepulturam mortui concedat. Aptissima est ratio Teucri, qua adversarium 1161 sq. dimittit: „ἄφερπέ νυν· κἀμοὶ γὰρ αἴσχιστον κλύειν | ἀνδρὸς ματαίου φλαῦρ' ἔπη μυθουμένου". Menelao igitur id accidit, quod omnibus vaniloquis. Cum nobiliores se praestare velint quam sunt, consilium detegitur et in contrarium vertit[1]).

Schoellius 1147—1162 uncis includit. Atque primum quidem de 1147—1149 haec verba facit l. c. pg. 87: „Wenn in dramatischer Rede der Sprecher, der seine Meinung und Mahnung, um den Gegner zu frappiren, in einem Lehrbild zu raten gibt, unmittelbar darauf (wie Menelaos in den Zusatzversen) die Auslegung und Anwendung davon selber macht, so vernichtet er gleich wieder den Witz und Stachel der Form und lässt die Einkleidung zwecklos erscheinen; da er ja doch platt sagt und ankündigt, was er fein und spitzig andeuten wollte". Schoell. igitur cum Schneidew. (cf. ann. ad 1142) putat vv. 1142—1146 αἶνον[2]) continere, nostrum Lehrbild. Quod probare non possum. Etenim si αἶνος exstaret et Menelaus 1146 sermonem finiret, sane quaererem, quo pacto Teucer signaretur et Teucrum demonstrari cognosceremus. Fieri potest ut eius condicionem ex versibus intellegamus? Nam aliquis nautas adhortatur, ut tempestate navigent. Sed frustra rogamus, qua ratione haec ad Teucrum referenda sint. Quid sibi volunt nautae, quid ἐφορμᾶν aliaque verba, quid praecipue v. 1146? Profecto aliena condicio in conspectu videtur esse. Equidem certe mirarer neque cogitationem explicare scirem, si ad ipsum v. 1146 adiungeretur v. 1163. An putamus spectatores Atticos rem facilius intellecturos fuisse? Mea quidem sententia Menelaus comparatione utitur, sive putare malumus eum exemplum 1142—1146 vidisse sive momento temporis — id quod navigantibus Graecis non difficile erat — finxisse; et tum quidem 1147 sqq. necessarios esse constat. Comparatio autem vocula οὕτω aperte indicatur. — Quod attinet ad responsum Teucri, Schoellius inprimis vituperat vv. 1157 sq., „weil trotz der plumpesten Offenheit im Vorigen die bewusst überflüssige Anwendung derb und breit hinzugesetzt und mit der Spottfrage geschlossen werde, ob das

---

1) Comparari possunt Oed. C. 1036—1038, ubi Creon similiter abit, praeterea Trach. 414, 434 sq.

2) Ex sententia Lucillii Tarraei αἶνος est oratio fabulosa, quae a brutis animantibus aut a plantis ad hominum admonitionem traducitur (cf. Henr. Steph. thes. s. v. αἶνου).

Räthselsprache sei". De „rusticissima claritate" cf. supra dicta pg. 24. Duo autem supremi versus ad imitandum acerbe Menelai sermonem pertinent, ita ut, quo modo hic 1147 sq. exemplum (1142—1146) in Teucrum transferebat, ita Teucer suam disputationem in Menelaum transferat. Ludificatio autem apparet, praesertim cum verbis *μῶν ᾐνιξάμην* velatum sermonem indicare videatur Menelai. Quo tota res magis illustretur, cogitemus, quo vocis sonu vv. 1150—1158 pronuntientur. Teucer se, quoad potest, continet tranquilleque loquitur ut 1141. Subtile ludibrium conspicitur in 1150—1153[1]), cum 1154 sq. gravissimam severitatem exprimant, quae etiam in sequentem versum transit. Sed 1157 sq. ludificatio fere in acerbas facetias augentur. Quare spero non admodum reprehensum iri, quae Schoellius delere vult.

Ita prior pars certaminis sepulcralis finita est. Comprehendit vv. 1040—1162 et breviter hoc modo disponi potest:

1040—1052: Menelaus introducitur, certamen instituitur;
1052—1117: orationes utriusque adversarii fiunt;
1120—1141: concertatur forma stichomythiae adhibita;
1142—1162: Menelaus se recipit et abscedit.

Certamen inter Teucrum et Menelaum nihil est nisi prolusio, cum antecedat proelio, quod initur a Teucro et Agamemnone. Neque enim Menelaus multum valet, si consideramus animi facultates et potestatem externam. Ab alia parte Teucer non semper rem ipsam attingit neque gravissima argumenta, ut, cum magis dicacitate, facetiis atque sagacitate utatur, non acerrima pugna fiat. Concertatur quasi hebetibus gladiis et levi pugnandi modo etiam eventus respondet. Neque enim Teucer multum lucri pro fratre condendo abstulit, quia Agamemnon ipse nondum victus est. Quamquam postea videbimus eum quoque constantia ac fortitudine Teucri tactum esse; neque autem hoc maximi momenti est et diligentissime tantum res inspicienti manifestum fit. Ne Menelao quidem persuasum est. Sed ad tempus plura non efficienda erant quam ut in fugam converteretur. De interna vi huius partis tragoediae cf. cap. II.

Actione interiecta (1163—1222) praecipue memoria Aiacis confirmatur. Teucer enim, a choro admonitus ut sepulcrum pro mortuo eligeret, primum curat, ne corpus se absenti violetur. Tecmessa autem et Eurysaces in scaenam prodierunt. Itaque cum illa in maritum se coniciat, hic ut supplex patrem tangere iubetur, qua re monstretur eum in tutela dei esse. Nisi autem supplicatio sufficiat, chorum defendere debere fratrem ab omni

1) Nauck. recte: ὀργήν, τὸν τρόπον, vgl. 640.

impetu. Quo modo fit ut lamentationis funebris (865—1040) commoneamur. Ibi etiam corpus mortuum Aiacis in medio positum est, circum quod propinqui se congregaverunt, ibi etiam asperrima res insequitur, impetus Menelai, ut hic perbrevi Agamemnon veniet sepulturae prohibendae causa. Sed quantopere duae fabulae partes inter se differunt cogitatione et coloribus. Ab illa enim parte clara voce lamentantur, mortuum queruntur atque timent, ne futuro tempore calamitas immineat. Sed quae sit calamitas, nesciunt. Ab hac parte tranquillitati ac dolori se tradunt, Tecmessa nihil eiulat, sed tacita et fracta mortuum amplectitur, cum Eurysaces puer genua flectat, ut patrem aliquando potentissimum protegat. Nam calamitas illata est et omnes ea premuntur. In proximo quoque puncto temporis manus adversa mortuum tangere potest, ut quies tristitiae plena tumultui ac rixae cedat. Chori autem canticum efficitur conspectu, qui in scaena est. Nam cum videat, quanta miseria propinqui Aiacis affecti sint, primae causae, infelicissimi illius belli, recordatur. Deinde autem consentaneum est eum post intimos mortuo, quorum fortuna ante oculos versatur, milites eius, se ipsum respicere. Itaque stasimum ex ipsius rei natura in duas partes dispertitur. Cum priore stropha et antistropha finis belli optetur et Paris, auctor eius, devoveatur, altera stropha et antistropha indicatur, quae bellum secuta sint. Si reputamus sententiam, altera stropha coniungitur cum priore antistropha versibus 1197 sq. Verisimile est chorum voce *ἀνθρώπους* etiam se comprehendere, ut *πέρθειν* Latino perdere plane respondeat. Altera igitur stropha et antistropha dolet, quod ipse rebus adversis fere obrutus sit. Summa cogitatio strophae in his consistit: gratissimam vitam, quam patria offert, agere non possum. Vita autem in patria degenda duo complectitur, circulorum vel convivii et otii domestici iucunditates. Nominantur ea, quae apud Graecos *δεῖπνον* sequebantur: coronae circumferuntur, quibus convivae se ornent; deinde incipit *συμπόσιον* (compotatio Cic. Cat. Ma. 13,45), inter quod servi symphoniaci tibiis canunt. Quod attinet ad otium domesticum, tranquillus somnus et deliciae coniugii maritalis praedicantur. Quae non solum cum concubitu conferendae sunt, sed etiam cum cura et diligentia, quam uxor praestat viro. Efficio hoc ex *ἀμέριμνος* (i. e. Germ. ohne Pflege[1]) 1206. Verba enim *κεῖμαι δ'ἀμέριμνος* statim ad *ἐρώτων* — *ἀπέπαυσεν* adiciuntur: quae cum ita sint, hic semper cubo sine cura, tempestatibus obiectus. In antistropha chorus queritur, quod Aiacem,

---

1) Wolff. ad 1207: *ἐρώτων* gehört auch zu *ἀμέριμνος*: ohne mich um Liebe zu bekümmern. Quam conversionem ineptiorem esse puto.

ultimam voluptatem et praesidium amiserit. Cf. 900 sqq.[1]). Cum igitur denique aptissime optet, ut domum revertatur, primum strophae α cogitatum redintegratur et perficitur. Textum

---

1) Blaydesius pro ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν 1204 ἐννύχιον κοῖτον ἰαύειν legit, quod in Eur. Rhes. 740 invenitur. Deinde Morstadtius Progr. Schaffh. 1864 p. 47 v. 1215 τέρψις voce exstincta ἐλπίς legendum esse censet. — Quid de his emendationibus iudicandum est? In versibus 1201, 1204, 1215 τέρψις, unumatqueidem vocabulum, eodemque loco reperitur, cum pes bacchius sequatur. Existimant autem Sophoclem solum 1201 τέρψιν adhibuisse, sed τέρψιν 1204 et τέρψις 1215 in locum aliorum verborum supposita esse. Quod quomodo factum sit si quaerimus, aut sua sponte atque consulto aliquis τέρψις 1204 et 1215 bis repetivit aut ignorantia atque neglegentia vera Sophoclea corrupit. — ad 1). Ponamus librarium quendam 1204 τέρψιν et 1215 τέρψις consulto scripsisse. Qua re quid consequi studuisset? An orationem volubiliorem, expeditiorem versum? At quod τέρψις redintegratur, auribus haud gratum videtur esse, ut minus mirarer, si in codicibus κοῖτος et ἐλπίς nunc tradita essent et diceretur Sophoclem sine dubio τέρψις ubique scripsisse, sed κοῖτος et ἐλπίς supposita esse, quod τέρψις ter repetitum non placuisset. An meliorem sententiam? Si quidem crederetur redintegratione eiusdem verbi meliorem sententiam nasci, non comprehenderem, cur emendare neque putare mallent Sophoclem aptiora usurpasse. — ad 2). Τέρψιν 1204 et τέρψις 1215 neglegentia perperam scripta sint. At nemo putabit τέρψιν a κοῖτον aut τέρψις ab ἐλπίς profecta esse. Etiamsi autem verba invenirentur, a quibus τέρψιν et τέρψις perverse nasci potuissent, nonne miremur, quod pro diversis notionibus (cf. κοῖτος et ἐλπίς) idem verbum adhibitum sit? Nonne magis etiam miremur, si mutatio illa tam bene evenerit, ut dicere possimus: τέρψις disiunctis versibus ter positum est eodem loco atque ante pedem bacchium? Quod qui comprehendere paratus est, aut ei, qui verba corruperit, maximam ac prope divinam prudentiam attribuit aut fortis temeritati maxime confidit. — Nescio an affirmare iam liceat Sophoclem τέρψις verbo ter usum esse. Quaestio tamen exsistit, nonne cum dignitate id factum sit. Quod paucis, si placet, inquiramus. In stropha et antistropha β chorus suam calamitatem exponit, quae vita sine voluptatibus ac deliciis est. Atque stropha β declaratur, quibus voluptatibus, quas patria offerat, in Troade egendum sit. V. 1206 sqq. autem transgressio ad antistropham sunt, cuius sententia haec est: chorus peregre laboribus circumdatur, sed unam voluptatem capiebat, quae in Aiace posita erat. Sed cum Aiax mortem oppeteret, ultima voluptas evanuit. Deinde chorus in Graeciam reverti aptissime optat: egeo voluptatibus patriae, Aiax, ultimae deliciae, mortuus est; utinam sacras Athenas revisam. Cf. simile desiderium Trach. 953 sqq. — Τέρψις igitur gravissimum verbum et strophae et antistrophae est, ut a poeta eodem atque aperto loco poneretur. Quod velut signum praecipua cogitata chori indicat: egeo primum publica felicitate, deinde privata fortuna, denique Aiax a me discessit. — Quibus expositis neminem conquesturum esse spero, quod τέρψις dure repetitum sit. Nam quicumque intellexerit poetae consilium, minime offendet, si versus intenta voce legit et suis quasque litteras sonis enuntiat. — Tamen patet a Blaydesio vim τέρψιν verbi 1204 bene intellectam esse, cum ἐννύχιον κοῖτον ἰαύειν legeret. Neque enim — id quod complures suspicantur —

inspicienti manifestum fit calamitatem chori duas diversas qualitates continere: est enim primum negans i. e. consistit in egendo a) circulorum laetitia, b) domestica felicitate, c) Aiace; deinde aiens i. e. versatur in certis laboribus perferendis: a) tempestate (1207 sq.), b) infesta nocte (1211 sq.), c) proelio diurno (1213). Sed calamitas affirmans calamitati neganti semper supposita est, quod cur factum sit, ex chori desideriis intellegitur[1]).

Vix chorus loqui desinebat, cum novum certamen initur. Teucer enim in scaenam irrumpit nuntiatum venire Agamemnonem. Ut vocula *τόνδ'* (1224) comprobatur, hic fere simul cum Teucro conspicitur. Sed priusquam ad interpretandam orationem Agamemnonis accedam, praemittenda est quaestio, num Menelaus Agamemnonem sequatur.

ἐννυχία τέρψις voluptas est, quae ex matrimonio capitur, sed nihil nisi tutus atque tranquillus somnus. Nam si *ἐννυχία τέρψις* voluptas amatoria esset, eundem sensum haberet quem *ἐρώτων* 1205, neque *δέ* 1205 aptissimum esset. Quaeritur autem, utrum *ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν* Germ. verti possit: ruhig, behaglich schlafen necne. Ita verti posse arbitror. Est enim *ἰαύειν*: tempus, praecipue noctem agere et simpliciter ac sua vi: dormire; cf. Il. 14, 21, Od. 24, 209 al. Deinde autem iungitur cum accusativo, ut cum *κοῖτον* Eur. Rhes. 740 et *ὕπνον* Theocr. 3, 49. Neque scio, cur Sophocli non concessum sit pro *ὕπνον* vel *κοῖτον* dicere *ἐννυχίαν τέρψιν*, quod poeta dignius neque, cum ad *ἰαύειν* pertineat, obscurum est. — Talis repetitio, qualem hic habemus, saepius reperitur. Cf. Eur. Ion. 927—930. Ubi codices *κακός* ter redintegratum praebent: v. 927 *κακῶν*, v. 929 *κακόν*, quod perverse pro *κακῶν* scriptum esse apparet, denique 930 *κακάς*. Quo loco paedagogus summo dolore queritur, quod undique calamitates exoriantur. Itaque et ad animi motum, quo paedagogus affectus est, et ad totam orationem exornandam maxime attinet, si ea notio, quae caput est, crescente voce ter repetitur. Musgravii (Iacobsii?) emendatio *καινάς*, quam Nauck. recepit, pro *κακάς* eo magis mihi displicet, quod *καινάς* et *ἄλλων* 930 non valde inter se discrepant. *Τῶν παρεστώτων κακῶν μετῆλθες — ὁδούς* dici posse exemplis vix alienis comprobetur. Solum genitivum separationis invenimus quidem Soph. El. 324, Oed. R. 142, Phil. 613. Deinde autem Badhamus Ion. v. 459 affert: *Ὀλύμπου χρυσέων θαλάμων | πταμένα πρὸς ἀγυιάς.* Adicio Soph. Oed. R. 151 sq.: *τίς ποτε τᾶς πολυχρύσου | Πυθῶνος ἀγλαὰς ἔβας | Θήβας;* — *Μετέρχεσθαι* est nostrum zu einem hingelangen; cf. Eur. Hec. 512, Soph. El. 56. Neque puto quidquam interesse inter *πταμένα πρός τι* et *μετέρχεσθαί τι*, cum praepositiones tantum diversis locis positae sint. Praeterea duplex repetitio exstat Oed. R. 46 et 51 (*ἀνόρθωσον πόλιν*), Ant. 946, 955 (*κατεζεύχθη — ζεύχθη*), triplex El. 486, 511, 515 (*ἐν αἰκίαις, αἰκίαις, αἰκία*, quae sunt in finibus versuum), quadruplex Oed. C. 964, 977, 987 (*ἄκων, ἆκον, ἄκων, ἄκων*), deinde 1714, 1717, 1719, 1736 (*ἔρημος, ἔρημος, ἐρήμας, ἔρημος*).

1) De subtili morum notatione chori cf. O. Hense, Der Chor des Sophocles p. 8.

Cum plurimi docti hoc negent, primus, nisi erro, affirmavit Welckerus[1]), qui vv. 1116, 1309 ostendit Menelaumque rediisse par et ex ipsa rei natura profectum esse censet[2]), deinde Pideritus[3]) et Schoenbornus[4]), quorum ille vv. 1115, 1312, 1319, 1308 sq., 1089 sq., hic v. 1116, 1312, 1319 significat. Quibus adstipulati sunt auctores nonnullarum dissertationum nostrae aetatis.

His demonstratis, etsi non omnium vis auctoritasque gravissima sit, tamen probabile est Menelaum adesse. Concedo quidem Teucrum, cum v. 1223 sq. Agamemnonem appropinquantem nuntiet, de Menelao nihil commemorare. Hoc tamen haudquaquam obstat, quia imperator solus auctoritate valet Teucroque curam affere potest. Praesentia autem Menelai tota res efficacior fit, cum omnes pugnatores simul videantur et discriminis, quod eo magis illustratur, participes sint. Deinde Menelaus fraudatione (1135) re vera omnes difficultates excitavit, cum propter eam arma Achillis non Aiaci traderentur, Aiax autem ira atque inimicitiis valde inflammatus principes Achaeorum adoriretur et postremo manus sibi ipsi inferret. Atque ipso hoc loco honor Aiacis restituitur, cum ab aemulo etiam praedicatur eum praeter Achillem excellentissimum fuisse omnium Graecorum (1339 sq.). Quare quam ineptum esset, si Menelaus deesset, qui, quominus illa praestantia agnosceretur, maxime prohibuit. Immo vero triumphus Aiacis tum demum perficitur, si inimicissimus gloriam eius cernit.

Oculi autem mei tenentur v. 1311 sq. Ubi *τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικός* usque ad hoc tempus non explanatum est. Alii confitentur *τῆς σῆς* corruptum esse, alii probare malunt. Wolff. quidem putat *σῆς* contemptus causa dictum esse, ut Eur. fragm. 721 inveniretur: *οὐκ ἀπολοῦμαι τῆς σῆς Ἑλένης οὕνεκα*, Soph.

---

1) l. c. Ueber den Aias d. Soph., Rh. Mus. III p. 249 ann. 14.

2) Aliter iudicat Wolff. ad 1125: „Menelaus konnte nach Teukros' schweren Beleidigungen nicht zu weitern Verhandlungen wiederkommen“. Sed consideremus praeter v. 1116 v. 1159 sq. Ubi Menelaus praedicat se abiturum esse, qnod turpe sit eum verbis punire, cui potestas sit factis puniendi. Itaque expressisse mihi videtur se in scaenam reversurum esse. Nam tum abscedit, quod parva comitate (1115) Teucrum Aiacis militibus, choro (cf. 1182 sq) nitentem cogere non potest. Sed imperatorem arcessere vult, ut consentaneum sit eum redire. Neque autem venit colloquendi causa, quod et ipse negavit 1159 sq., sed odio, exspectatione, malevolentia ductus, cum cladem scilicet Teucri et laetum eventum conspicere cupiat. Ipse satis locutus est, ut magis etiam potentiori imperatori omnia mandare possit. Ita etiam dubitatio evanescere videtur Schoenbornii, Skene der Hellenen Lpz. 1858 p. 261, qui dicit: „es fällt auf, dass Menelaus, der kurz vorher sich über alle Massen maulfertig bewiesen hat, zum zweiten Mal kein Wort spricht“.

3) Scenische Analyse des Aias, Hersfelder Progr. 1850 p. 40 et 55 sq.

4) l. c. p. 260 sq.

Ant. 573: λυπεῖς καὶ σὺ καὶ τὸ σὸν λέχος („die Ehe der Antigone, auf die du mich verweisest"), Eur. Hipp. 113: τὴν σὴν δὲ Κύπριν („die von dir angepriesene"), Heracl. 284: τὸ σὸν γὰρ Ἄργος („das von dir gerühmte") aliaque minoris momenti. Neque tamen exempla apta sunt. Nam primum Eur. frg. 721 Menelao verba fiunt, ut nihil miri in σῆς insit[1]). Quod ad Soph. Ant. 573 attinet, locus ipse non apertissimus est (cf. Nauck. in indice ann. ad 569—574). Sed ut hoc omittam, ibi propter ea, quae antecedunt, nemo dubitare potest quin τὸ σὸν λέχος supra commemoratam vim habeat. Nam antea Ismene de nuptiis Antigonae non obscure disseruit, cum de ipsius nuptiis ne minima quidem mentio facta sit. Idem iudicandum est de Eur. Hippol. 113 et de sequenti exemplo, in quibus confusio omnino exsistere non potest[2]). At censemus τῆς σῆς γυναικός eadem ratione explicari posse: „das Weib, um das du kämpfest und ganz Griechenland zum Kriege gerufen hast" (sic Wolff.)? Nequaquam, cum nihil ad hunc sensum demonstrandum praemissum sit[3]). Immo vero τῆς σῆς γυναικός, si Teucer Agamemnonem alloquitur, tantum significare potest: τῆς Κλυταιμνήστρας. Atque mirum mihi videtur esse, quod pauci etiam eo progressi sint, ut defenderent hanc sententiam. Brunckius enim dicit: „haesitatio illa et simulata ignorantia, utrius uxor causa sit belli, irati et contemnentis est". Equidem puto non irati et contemnentis, sed absurdi et fatui hominis eam futuram fuisse. Schoellii sententiam conspicias velim infra ubi 1308 sqq. evolvuntur. Nauckius autem et Dindorf. se τῆς σῆς γυναικός comprehendere non posse concedunt. Neque ego opera data valeo, ut sententiam locutionis sic compertam habeam. Itaque cum J. Renneri, qui eundem locum maxima cura tractavit, propositum N. Jahrb. f. Phil. u. Paed. 1883 p. 153 sqq.: — ἢ δισσῆς ὑπὲρ | γυναικός, ἐχθροῦ σοῦ θ' ὁμαίμονος λεχῶν plane agnoscere non possim, conor interpretationem, quae, nisi doctis fortasse probetur, tamen emanavit e studio veri reperiendi. Etenim si omisso reliquo textu verba: ἐπεὶ καλόν μοι τοῦδ' ὑπερπονουμένῳ | θανεῖν προδήλως μᾶλλον ἢ τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικός separatim contemplaremur, quem putaremus locutione τῆς σῆς γυναικός designari? Sine dubio Helenam. Nam propter Helenam bellatur, propter eam etiam Teucer Troiam

---

1) In Telepho fabula, ad quam fragmentum pertinet, etiam Menelaum adesse patet frg. 722: Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει· | τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ. His etiam apparet Menelaum frg. 721 appellari.

2) Neque magis alii loci quadrant, quos adicere possimus quibusque pronomen alterius personae contemptim dictum est: Soph. Phil. 1251 et Eur. Rhes. 866.

3) Wolff. ipse in ann. extremo libro scriptis profitetur σῆς mirum esse, et pro τῆς σῆς βήσσαις legere vult.

profectus est, ita ut illa affirmatio rebus conveniat. Neque autem Helena nupsit Agamemnoni, sed Menelao. Quare opus esset σῆς (1311) referri ad Menelaum. Id igitur saltem constat, si vv. 1310—1312 dicantur Menelao, τῆς σῆς ὑπὲρ γυναικός clarissima esse. Ac fieri nonne possit, ut Menelaus, quamquam sermo in universum sit cum Agamemnone, tribus versibus appelletur? Neque proprie mirum est personam mutam appellari. Cf. primum omnes locos, quibus verba fiunt ad famulos: Ai. 1402 sqq., Ant. 578, 1087, 1108 sqq., Oed. R. 1520, Oed. C. 897 sqq., Trach. 1255 al., deinde Ai. 1171 sqq., 1409, Oed. R. 1479 sqq., Eur. Tro. 749 al. Neque magis mirabimur, quod Teucer media oratione alterum alloquatur; cf. inter multa Oed. C. 909. Minime autem oportere, si oratio vertatur ad alium, huius nomen semper pronuntiari, efficitur ex exemplo antecedente. Sed inprimis refert, ut proprietate verborum manifestum fiat, quis indicetur. Atque hoc loco verbis τῆς σῆς γυναικός indicari tantum potest Menelaus. Quare puto vv. 1310, 1311, 1312 per interpositionem ei dici, cum versibus 1313 sqq. adiunctis ad 1309 iterum Agamemnon describatur. Neque spectatores in dubium vocari poterant, praesertim cum viderent Teucrum corpus dirigere tum ad Menelaum tum ad Agamemnonem. Transitus autem ad Menelaum levatur pluralibus βαλεῖτε 1308 sq. Si eo progredi velimus, ut fortasse annotationem scaenicam principio exstitisse: (φησὶ) πρὸς Μενέλαον, (φησὶ) πρὸς Ἀγαμέμνονα cogitemus, quoniam vero fuerunt παρεπιγραφαί (cf. Arist. Ran. 311: αὐλεῖ), tum res omnino ambigua non est. Quae si forsitan ita se habeant, etiam apertissimo argumento probatur Menelaum in scaena adesse. Quaeritur autem, ut hoc iam ante posteriorem disputationem anticipem, qua ratione mendum, quod haud dubie in ἢ τοῦ σοῦ ϑ'ὁμαίμονος λέγω 1312 inest, corrigere possimus. Brunckius quidem vulgatam defendere studet, cum explicet: „aut tui etiam fratris". Sed rectissime Hermannus particulam τε hanc vim habere cum Erfurdt. negavit, scripsit autem initio σοῦ γ', in edit. III. ἢ σοῦ σοῦ ϑ'ὁμαίμονος, quod Wolff. probavit. Σοῦ γ' Thierschius et Bothius acceperunt, postea Bothius σοῦ δ'. Doederlein.: τοῦ σοῦ 'υϑομαίμονος, Seyff. τοῦ σοῦ γ'ὁμαίμονος λέχους, Dindorf. primo vulgatam retinuit, nunc: ἢ τοῦ σοῦ ξυναίμονος, cui Schneidew. Phil. IV p. 475 sq. se applicuit. Bergkius: ἢ σοῦ τοῦ ϑ'ὁμαίμονος, cum Martinus ἢ σοῦ τοῦδ' ὁμαίμονος proponat. Vix crediderim plura suaderi posse. Cum ad meam dissertationem non valde pertineat inquirere, cur nonnullae emendationes vituperandae aut plus minusve laudandae sint, hoc praetermitto. Tamen cum Schoenbornio l. c. p. 261 Martini sententiam commendem, qui σοῦ τοῦδ' ὁμαίμονος: tui huius fratris legit. Neque enim primum transpositio molesta est et

facile oriri poterat, deinde autem vox *τοῦδ'* plane iudicio nostro respondet, cum putemus utrumque Atridam in scaenam prodiise[1]). *Ἡ σοῦ τοῦδ' ὁμαίμονος λέγω* autem observatio est, in qua *ὑπέρ* (1311) non repetitur quamque ita fere in Latinum convertere possimus: vel dicam pro hoc fratre tuo i. e. mori possem pro Helena, quod propter eam bellum susceptum est, vel pro Agamemnone, quod, cum imperator sit, mors mea nihil esset nisi muneris officium *ὑπάρχον* erga *στρατηγόν*. Hoc extremum tamen magis a rebus distare Teucer significat forma quaestionis[2]). *Τῆς σῆς κτλ.* — *λέγω* contemptione quadam dicuntur.

Nunc studebo orationem Agamemnonis interpretari. Eum magis valere Menelao iam Teucri celeritate (1223) et verbis *σκαιὸν ἐκλύσων στόμα* monstratur. Atque imperator cum sibi conscius sit potentiae suae, orationem superbe inchoat. Nam *ἀνοιμωκτὶ χανεῖν* (1227) contemptus causa dictum est. Versibus 1226 sq. accusatio continetur, sed universe neque nominatim exponitur. Proprie Agamemnon adversarium arguit 1231--1234, cum 1229 sq. ad *σέ τοι τὸν ἐκ τῆς αἰχμαλωτίδος λέγω* 1228[3]) adiciantur. Verbum *ἀντιστῆναι* 1231 haud dubie 1232 sqq. explicatur; nam tota oratione et loco ipso apparet non suspicandum esse Agamemnonem sepulturam Aiacis significare. De cavillationibus Teucri disserere vult (1226 sq.), quae numerantur 1232 sqq. et 1241 sqq. Quare hi versus comprehenduntur v. 1231 et particula *καί* (1232) singula instituuntur. Omnino non comprehenderem, cur Agamemnon, si de sepultura verba facere vellet, tam paucis et obscuris uteretur. V. 1234 fortasse ita cum praecedente coniungendus est: „si tu imperium nostrum de Achaeis et de te negas, omnino id negas neque Aiax ei subiectus est, sed, ut dicis, ipse regnat“. Quaeritur autem, num crimina Agamemnonis (1231—1234) veritati respondeant. Minime. Quod ut aptius intellegamus, ad 1099 sqq. revertendum est. V. 1100 sqq. Teucer solum affirmat Aiacem cum militibus suis non in potestate esse Menelai, Menelaum non esse imperatorem. Imperium Agamemnonis comprobat 1105 sq., 1116, negat nusquam. Quare cum crimina statim corruant, tamen investigare iucundum

---

1) Quod *τοῦδ'* iam v. 1310 exstat Aiacem significans, non impedimento videtur esse, cum prius *τοῦδ'* a posteriore satis longo intervallo disiunctum sit et Teucer gestibus magis etiam declarare possit quem designet. Ceterum coniectura Bergkii: *ἢ σοῦ τοῦ θ' ὁμαίμονος* haudquaquam spernenda est.

2) Tamen forma affirmationis etiam admittenda est, ita ut *λέγω* ad totam enuntiationem pertineat.

3) Notari potest *λέγω* ita positum aliis locis omitti; cf. Ant. 441, Eur. Hel. 546.

videtur esse, quomodo exorta sint. Perspiciamus v. 1099, qui voci λαβών (1098) oppositus est neque quidquam exprimit nisi Aiacem sua sponte et voluntarium navem solvisse; cf. p. 14. Clarum est iam simili forma ad hunc versum verba Agamemnonis spectare. Quid autem Teucro obicit? ‚Dicis Aiacem ipsum regnantem i. e. velut ducem sui potentem et liberum huc venisse". Vis locutionis αὐτὸς ἄρχων et efficitur ex contrario 1232 sq. et ex refutatione 1237. Compertum igitur habemus, quatenus 1099 permutatus sit: ἐξέπλευσεν mutatum est in ἔπλει, αὐτοῦ κρατῶν in ἄρχων, αὐτός, quia versus ex contextu raptus est, alienissimum significat. Tum autem duo respicienda sunt: aut Menelaus falsissimum nuntium Agamemnoni attulit aut Agamemnon verba Menelai magnopere auxit. Atque Menelaum nuntiavisse Teucrum Agamemnoni imperium abrogare de se et Achaeis (1232 sq.), mihi non probabile videtur esse. Nam ut ponamus Menelaum odio ad mendacium perduci potuisse universe, tamen id, quod hoc loco invenitur, absurdius et maius est quam ut ab eo componi posset. Quoniam praeterea ipse cum Agamemnone in scaenam redit, profecto eum cauturum fuisse existimo, ne inaudita nuntiaret, quae Teucrum extemplo refutaturum esse ei putandum erat. Tamen apparet verba 1234 ab eo profecta esse, cum versui 1099 tam similia sint, ut solum ab audiente afferri possent. Atque verisimile videtur Menelaum, postquam scaenam 1160 reliquit, a se ipso rogavisse, quidnam Teucer dixisset. Tum v. 1099 recordatus est, sed ita ut verae significationis non meminerit. Cognovit etiam Aiacis libertatem valde praedicatam esse, neque autem reminiscitur Aiacem Menelao non subiectum fuisse Teucrum contendisse. Itaque Agamemnonem certiorem fecisse videtur, ex Teucri verbis Aiacem αὐτὸν ἄρχοντα esse. Quod haud dubie consulto versus 1105 sq., 1116 omittit, hoc malevolentiae eius adscribendum est. Quare 1232 sq. ab Agamemnone adiecti sunt. Qui superbissimus est, ut praestantiae suae imperatoriae libentissime consulat (cf. 1352). Itaque cum ei dicatur a Teucro Aiacem solutum ac liberum declaratum esse, quod orationem eius accurate non novit, facile paratus esse potest sibi persuadere eum omnino imperium suum negavisse. Praeterea ita impetus contra adversarium firmatur. Eo magis autem existimo Agamemnonem crimina 1232 sq. invenisse, quia quodammodo coacte atque dure inter sententias versuum 1231 et 1234 posita sunt et ipse postea (1235 sqq.) v. 1234 tantum considerat. Versibus 1235—1237 argumento comprobare studet, quam inconsulta et ridicula sint verba Teucri (1234). V. 1236 igitur interrogat, quinam Aiax fuerit, ut Teucer tam superba de eo loquatur. Respondet: Aiax, ubicumque pugnavit, paruit meo imperio (1237). Quam cogitationem puto

evidentiorem futuram fuisse, si scriptum esset: *ποῦ βάντος — οὔπερ οὐκ ἐγώ; ἐμὲ δὲ στρατηγὸν εἶναι οὐκ ἀποφήσεις.* Quod additamentum quasi consentaneum praetermittitur ab imperatore, cum videlicet voce *ἐγώ*, quae premitur, omnia expressa sint. Neque magis ea, quae ex his consequuntur, profert, ut omnino summas tantummodo rerum attingit et cogitata sua adumbrat. Dicere autem poterat: quare cum Aiax nusquam procul imperio meo proeliatus sit, comprehendes, quatenus de *αὐταρχίᾳ* eius garrire possis.

V. 1237 prior accusationis pars finita est. Sequentes autem versus difficiles videntur esse ad explicandum, quos quo magis intellegamus, necessarium erit proprii sermonis, quem Agamemnon adhibet, meminisse. Videmus eum 1241 et 1244 crimen Teucri (1135) et 1245 scelus Aiacis tangere. In quo fundamento positi erant illi impetus? Telamonii persuasum habebant Aiacem meruisse Achillis armaturam, quam tantum fraude alii obtingere potuissent. Hoc igitur eorum institutum est: Aiax erat omnium dignissimus (cf. 1338 sqq.). Quod Agamemnon cum impugnare debeat, ductus quaestione 1236 (*ποίου ἀνδρός*), insequentem disputationem inchoat interrogatione: *οὐκ ἆρ' Ἀχαιοῖς ἄνδρες εἰσὶ πλὴν ὅδε;* Particulis autem *ἆρα οὐ* designat se responsum aiens exspectare. Deinde 1239 sqq. introspicit ea, quae iudicium armorum secuta sunt, ut nunc investigandum sit, qui *ὑμίν* voce (1242) notentur. Fortasse duplici modo res expediri potest. Atque primum sine ulla dubitatione 1245 malefactum Aiacis significatur[1]), ut vocula *ὑμίν* Teucrum et Aiacem describi facile iudices. Itaque Agamemnon magna sermonis audacia Aiacem sibi proponit ut viventem. Nam futuris *βαλεῖτε, κεντήσεθ'*, quae non simplicem gnomicam vim habent, etiam ostendit impetus praeteritos repeti posse: si ea fient quo pacto adhuc facta sunt. Cf. etiam *αἰέν* 1244. Quam rationem alloquendi certe miram esse vix quisquam negabit, ut arbitrer alteram interpretationem esse praeferendam. Nam *ὑμίν* generalius videtur dictum esse pro: partibus vestris. Verba autem *ἡσσημένοις* (1242) et *οἱ λελειμμένοι* (1245) possunt bene referri ad Teucrum et amicos eius, quoniam una cum Aiace victi sunt et Teucer hereditatem omnemque condicionem fratris cepit. Quare v. 1245 non magis mirus est: si dolo stimulabitis ut stimulavit Aiax. *Ἀρκέσει* (1242) praebet vim quandam ironicam. Nam homines solent mediocriter contenti esse, si non parem at quampiam partem consecuti sunt. Sed Aiax cum suis nihil consecutus est. *Οὐδ' ἡσσημένοις* (1242) notionem habet contrarii: quamquam inferiores discessistis. Cf. Krüger I § 56, 13, 2.

1) Schol.: *κεντεῖτε: πρὸς τὴν ἐπιχείρησιν τοῦ Αἴαντος.*

Neque sequentia 1246—1254 primo obtutu patent, ut etiam hic duplicem explanationem conari velim. Primum igitur ita evolvam: „In Folge solchen Treibens dürfte wohl niemals ein Gesetz Bestand haben, wenn wir diejenigen, welche nach Ordnung und Recht gesiegt haben, bei Seite schieben und die Unterlegenen (τοὺς νικηθέντας Henr. Steph.) bevorzugen werden.“ Vocibus igitur ἐκ τῶνδε τρόπων inimicitias ante commemoratas designari cum Schoellio arbitrer. In τῶνδε non offendendum est, quod ὅδε de supra dictis usurpari potest, si scriptor haec recens in conspectu versantia declarare velit; cf. 583, 1250, El. 885. Locutio autem ἐκ τῶνδε τρόπων non solum ad apodosim, sed etiam ad protasim (1248 sq.) pertinet, ut accuratius ita lingua vernacula vertendum sit: „In Folge solchen Treibens würde kein Gesetz bestehen, wenn wir uns nämlich dadurch bewegen lassen werden, die Ordnung umzukehren“. Agamemnon igitur circuitione quadam adversario consilium subicit, quasi impetibus efficere vellet ut prius iudicium de armis antiquaretur. Praeterea imperator verba (1238): Aiacem non solum inter Achaeos virum esse, 1248 (τοὺς δίκῃ νικῶντας) ita mutavit, ut dicat illum etiam aliis vel alio inferiorem esse. Nam qui δίκῃ ἐνίκησεν, inter omnes (Aiacem) praestare debebat. An δίκῃ hoc loco valet quod actio? Quid autem de tota re iudicandum est? Non convenit. Nam cum Aiax mortuus sit, Agamemnonem ex impetibus Teucri illud efficere non licet, ita ut vulgari sermone perducatur ad absurda. Quod enim in αἰὲν ἡμᾶς κακοῖς βαλεῖτε (1244) cogitat talia etiam temporibus praeteritis saepe accidisse, quibus Aiax vivebat, hic etiam perverse praeterita respicit. Neque igitur sequentia 1250—1254, cum ad antecedentia adiungantur, rerum condicioni magis respondent. Ἀλλ' εἰρκτέον τάδ' ἐστίν spectat ad 1248 sq.: „sed hoc excludendum atque vitandum est“. Si quidem Agamemnon deinde orationem vocabulis οὐ γὰρ inchoat, putandum videtur esse eum 1246 sq. accuratius explicaturum esse. Sed alienissimum adicit, quo odium eius evidentissime detegitur: „denn nicht die Herrn mit den breiten Rücken stehn am festesten (i. e. dürfen überzeugt sein, dass man ihre Vorzüge schon anerkennen wird; cf. Henr. Steph. p. 2310 lin. 4 sq.), sondern die Kluggesinnten bleiben überall im Vorteil“. Simile 1253 sq., cum versui 1252 contrarium sit, cogitationem versus 1250 sq. repetit. Vocula βοῦς premitur, quae contemnendi significationem praestat: ein Ochs dagegen, mag er in den Lenden noch so breit sein, muss, gelenkt von der schwachen Geissel, fein hübsch den Weg einhalten i. e. nullus sermo est de κρατεῖν (1252), sed praeceptis parere debet. — Altero modo vv. 1246 sqq. videntur ita enodari posse: „auf diese Weise (scil. ἐκ τῶνδε τῶν τρόπων explanatur sequen-

tibus *εἰ κτλ.*) dürfte wohl keine Ordnung bestehen, wenn wir diejenigen, welche dem Rechte nach den Vorzug haben, bei Seite stossen und den minder Tüchtigen den ersten Platz einräumen". Tum iudicium armorum spectatur et defenditur. Opperiendum igitur erat 1250 sqq.: *οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς εἰσὶν ἄριστοι, ἀλλ' οἱ φρονοῦντες* (*Οδύσσ.*) Sed vox *ἀσφαλέστατοι* convenit moribus et inimicitiis Agamemnonis. — Vv. 1255 – 1263 finem faciunt orationis. Voce *μάστιξ*, quae contra bovem adhibenda est, imperator permovetur, ut postremo tamquam fructum disputationis suae minas in Teucrum iactet. V. 1257 sq. accusatio magis vulgari sermone redintegratur, cum probabile sit *ὑβρίζεις* ad 1231—1234, *ἐξελευθεροστομεῖς* ad 1241 sqq. pertinere. Denique Agamemnon 1259 sqq., de quibus infra copiosius disseram, Teucro consilium dat, quomodo tempore praesenti se gerere debeat.

Oratio in quattuor partes dispertiri potest:

I. 1226—1231: exordium;
II. 1232—1237: prior accusatio instituitur;
III. 1238 –1254: altera adornatur;
IV. 1255—1263: peroratio.

Schoell. Aias p. 93 sq. vv. 1257—1263 uncis includit. Nam locutionem, ait, *πρός δούλων* (1235) comprehendi posse ut iracundia factam superlationem veritatis, quoniam Teucer ex aliqua parte Agamemnoni subiectus se liberum appellasset et fratrem imperatoris turpis doli accusavisset. Deinde Schoell. monstrat Teucrum ubique principem declarari et auctoritate et rebus gestis. Quare inventum praeclarissimum virum, qui per novem annos in exercitu magna virtute excelluisset, subito quasi edicto servum dicendi, qui in lite per hominem liberum tantum audiri posset, absurdissimum neque dignum esse ad quod serio responderetur. Cum Teucer deinde heroe Graeco ortus esset semperque cum Graecis fuisset, Agamemnonem, qui semper eo multum usus esset, dementissime agere, cum eum malum alienigenam nominaret, cuius linguam non comprehenderet. Haec non esse verba irati et superbi imperatoris, sed ostentationem hominis inficetissimi. Fieri non potuisse ut tales nugae, quibus omnis tragica gravitas periret, a Sophocle componerentur et Atheniensibus, qui Periclis aetate erant, offerrentur. — Itaque necessarium videtur esse rem quam diligentissime inspicere, et rogandum est, quaenam Agamemnon in oratione contenderit. Dicit primum: filius es servae (1228), deinde: servus es (1235), denique: ergo ab actione te removeo (1259 sqq.). Quare opus est spectatores Atticos extemplo legum suarum reminisci, quae ita erant: Si dominus e serva liberos genuit, hi matrem sequentes non minus servi fiunt, in iudicio autem patrocinium eorum a viro ingenuo suscipi

necesse est[1]). Sed cum rerum statu probetur Teucrum in exercitu praestantem nec servum esse, cum praeterea 1288 sqq. facta sua tangat, quae liberi hominis fuisse Atheniensibus ex Iliade notum erat, et filium Telamonis se praedicet, sequitur ut poeta has leges valentes faciat: primum: servus est qui ortus est servo et serva; deinde: non servus est, cuius parentes sunt serva et homo ingenuus, sed et ipse ingenuus est. Hae autem leges erant aetate heroica[2]). Quamobrem Agamemnon summa iniuria censet Teucrum servire, cum commemoraret matrem eius fuisse servam, non commemoraret patrem esse ingenuum populi Graeci regem. Quo pacto autem progreditur ad tantam iniustitiam? Schoellius quidem iudicat eum absurdum se praebere. Nam Teucrum tenere locum honestum inter duces Graecorum suaque sponte milites in expeditionem educere (342 sq., 564, 720 sq.). Tamen num 721 sq. de expeditione sua ad Agamemnonem referre velit, id quod Schoell. putat, valde dubito. Nam cum Aiax inimicissimus esset Atridis, Teucer quoque sine ulla dubitatione cavebat ne Agamemnoni sedulo se subiectum praestaret aut magna diligentia et publice obsequeretur. Immo vero verisimilius est eum, postquam ab expeditione regredienti multitudo ad praetorium congregata conspicua facta est, eo se contulisse ut causam turbae quaereret. Quamquam existimandum est Agamemnonem tempore praeterito aliter ac familiarius Teucro usum esse. Qua ratione igitur verba et mores eius praesentes explicare possumus, ut gloriae Sophoclis non obtrectemus? Agedum consideremus v. 1262: *σοῦ γὰρ λέγοντος οὐκέτ' ἂν μάθοιμ' ἐγώ*: nam te loquentem amplius non observem. His verbis Agamemnon, ut vocula *οὐκέτι* demonstratur, haud dubie concedit se aliquando sermonem Teucri observavisse. Sed cum Teucer in hac fabula imperatorem nondum allocutus sit, tempus ante impetum Aiacis peractum designatur. Itaque in v. 1262 sententia inesse videtur: „adhuc, quamquam serviebas, verba tua non neglexi, clementia atque indulgentia ductus, cum veram tuam condicionem praetermitterem. Sed nunc benignitatem meam perdidisti, quia te servum esse nimis oblitus es (1259, 1233). Quare amplius non audiam". V. 1263 paratus sum cum Schoellio delere. Nam interpretatio Hermanni: „nihil aliud hic Teucro exprobratur, quam quod, ex Hesione Laomedontis filia natus, non pro Graeco habendus sit" num sufficiat, plane dubito. Immo vero ab interpolatore adiectus videtur esse, cui v. antecedens non satis perspicuus erat. Certe dubia continet. Nam si *ἐπαΐω* cum Schoellio vertimus: verstehen, affirmatio propterea potissimum mira videtur,

---

1) Cf. F. G. Schoemann, Gr. Alt. edit. I vol I p. 350 et 352.
2) Cf. Schoemann l. c. I p. 55.

quod 1262 apparet Agamemnonem cum Teucro collocutum esse. Quare pro *οὐκ* opus fuisset *οὐκέτι* ponere. Neque magis res explanatur, si *ἐπαΐω* nostro sermone: „hören" traducimus. Sed ut ad 1262 revertar, Agamemnon magna subtilitate significat se usque ad id tempus condicioni Teucri indulsisse, posthac autem aliter eum tractaturum esse. Utique constat imperatorem summa iniuria ac superbia agere. Tamen id mirari possumus? Non magis quam quod Menelaus in oratione sua valde mentitur, Atridae simplicibus inimicitiis ac proprio odio Aiacem sepultura privaturi sunt neque Agamemnon merita Aiacis comprobat (1236 sqq., 1266 sqq.). Profecto poeta id intendit ut, cum Atridis omnino iniustas naturas tribuit, etiam certius reddat eos iniustissime Aiaci sepulturam eripere velle. Primo enim dubitare possimus, Aiax nonne mortuus etiam poenam mereat, quoniam facinus eius insignissimum erat. Sed eo magis inclinant animi nostri ut argumentationes eorum, qui Aiacem defendunt, accipiamus, cum Atridas iniuria contra defendentes uti videamus. Absurda igitur verba Agamemnonis censere non possum, praesertim si me interrogo, cur imperator tam iniuste Teucrum adoriatur. Certo adversarium multis criminibus afficit, mirum in modum alloquitur, servum appellat ac denique 1259 sqq. subito et vehementissime urget, ut *προστάτην* adducat. Simul sepulturam Aiacis non commemorat. Equidem igitur, cum res aliter vix cum honore poetae evolvi possit (cf. crimina Schoellii p. 37), facere non possum quin suspicer eum Teucrum obtundere et circumvenire, adhortatione autem alium afferendi de scaena removere cupere. Nam cum a Menelao haud dubie certior factus sit Teucrum, utcumque res caderet, etiam cum vi fratrem humaturum esse (cf. 1326 sq. cum 1108 sqq.), profecto gratius ei est mortuum arripere sine violentia et proelio. Sperare autem videtur dolo se defensorem perducere posse, ut puncto temporis consilii expers scaenam relinquat. Atque ne suspicionem Teucri excitet, sententiam Aiacis condendi haudquaquam attingit quasi innocentissimus et simplicissimus, quamquam proximum erat ut hoc vituperaret. Quare iudico Agamemnonem, cum mire ageret, quaestu ac lucro commotum esse.

Tamen re ipsa elucet Agamemnonis hanc calliditatem non multum valere, cum extremam viam invenerit Aiacis commode foedandi neque Teucri facile opprimantur. Turpiter compellatus nuda latera in oratione adversarii bene conspicit. Quare minime adhortatione virum liberum arcessendi permovetur, sed 1266 sqq. responsum dat. Tria praecipue in oratione Agamemnonis reprehendi possunt: primum Teucer servus non appellandus neque admonendus est, ut hominem ingenuum adducat; deinde crimina,

quae imperator 1232—1234 profert, iniusta sunt; denique Aiaci 1237 sq. indigne obtrectat. Sed orator secundum illud silentio praeterit, cum, postquam ab Agamemnone valde dehonestatus est, errorem eius illustrare minime studeat. Quod si facere vellet, haud dubie confitendum ei esset se imperium adversarii agnoscere. Hoc autem, etsi alias eum concessurum fuisse certissimum est, tum vero concedere non potest. Nam adversario gaudium in hac re inesset, quod trucissimus Telamoniades permittere non vult ei qui pietatem et honorem suum insigni temeritate violavit. Immo vero Atridam in sententia perstare patitur, quasi imperium eius negaret, et reliqua nuda in oratione inimici respicit, quae studio digniora sunt.

Ut amori fratris convenit, prius Teucer 1266—1287 obtrectationem Aiacis refutat. Agamemnon enim negavit illum sua sponte res gessisse, deinde solum inter Achaeos virum esse. Quae simpliciter refellere orator non satis habet, sed quae ex iis effici possunt efficit, cum dicat: si ita Aiacem tractas, crimen ingrati animi tibi obicio[1]). Verba igitur inimici suo iudicio conformat, non accipit, ut simpliciter fiunt, sed orationem ad oratorem confert. Quod aptissimum et efficacissimum esse apparet. Nam ita impetus cum defensione coniungitur, quae etiam ei supposita est. Quare si primae orationis parti (1266—1287) titulum inscribere velimus, hanc sententiam habere possit: De ingrato Agamemnonis animo. Cf. 616 sqq.

Teucer ut 1093 vulgari contemplatione incipit, cum Atridae statim in medias res vadant. 1266—1271 accusationem contra Agamemnonem continent. Vocula *χάρις* (1267), quod toto sententiarum connexu manifestum fit, nihil significat nisi nostrum Dank[2]). *Προδοῦσα* autem suppleri potest voce *αὐτόν*, quam ex *τοῦ θανόντος* demimus. Itaque *χάρις προδοῦσα* ea videtur esse quae personam, cui gratia debetur, neglegit ibique contumelia insequitur, ubi non *προδοῦσα*, sed *βοηθοῦσα* esse debet. Vv. 1266—1271 gravissimum crimen amplectuntur, quod afferendi ius enuntiatione condicionali (1268 sqq.) expressum est. Neque enim Teucer locum communem (1266 sq.) cum Agamemnone componere aut ei priorem societatem armorum 1269 sq. opponere posset, si Agamemnon ea, quae Teucrum dixisse putabat (1232—1234), simplici *στρατηγός εἰμι* refutavisset. Nam Aiax ad

---

1) Quod crimen gravissimum est; cf. verba Tecmessae 520 sqq. Ex sententia Pythagoreorum partes iustitiae sunt simul ultio et gratitudo. Itaque cum Agamemnon admoneatur ut gratus in Aiacem esse debeat, re ipsa ultionem ex aliqua parte deleri patet. Tamen ultionis cupiditas, qua Atridae flagrantur, vix cum iustitia conferenda est. Cf. p. 7.

1) Ita Solger., Thudichum: Gunst, Schoell.: Wohlverdienst.

tempus gratiam Agamemnonis perdidit, cum vitam eius peteret. Sin autem Agamemnon verbis 1237 sq. utitur, pristinum socium, *οὗ μνῆστιν οὐκέτι ἴσχει*, iniuria afficit, ratioque Teucri iustissima est. Cogitationes igitur in 1266—1271 ita ordinatae sunt: „*ἀχαριστίαν* dicere licet. cur? quod merita Aiacis memoria non tenes". Ut prius iuri respondere pateat, alterum argumentis confirmandum est. Quod fit 1272—1287. Si tranquille dispositum ordinem sententiarum exspectaremus, Teucrum 1272 ita fere pergere necesse esset: *ἄρτι γὰρ ἔλεξας πολλὰ καὶ ἀνόητα ἔπη*. Deinde haec *ἔπη* perhiberi atque exempla 1272—1287 iis obici possent, quibus crimina imbecilla neque vera esse ostenditur. Ad quae conclusionem adicere liceret: *ἐκ τούτων Αἴαντος οὐ μνημονεύεις*. Cf. orationem Teucri contra Menelaum. Quam tranquillitatem orationis fervidae minus propriam futuram fuisse, cum aliquid languisset, videmus. Sed alacer orator, quod cogitata sua comprehendi tantum vult, leviora astringit graviaque praedicat. Ita quoque Teucer longinquam neque gravissimam disputationem enuntiato participiali colligit (1272) et, cum directo vv. 1268 sq. consideret, merita Aiacis 1273 sqq. clarissime narrat. Primum exemplum, quod orator adhibet, porrigitur inde a v. 1273 ad 1279, quo praecipue v. 1238 illuminatur. Nam ibi Agamemnon contendit plures esse Aiaces. Sed hic explanatur *τροπὴν δορός* exstitisse, utrumque Atridam atque imperatorem ipsum circumdatos fuisse, ignem et fortissimum illum Hectorem terrorem ac tumultum fecisse. Quis rerum statui subvenit? Nemo nisi Aiax, ipse erat *μοῦνος ἀνήρ*. Simul autem v. 1237 leviter monstratur: nam si quidem Agamemnon ab Aiace liberatur, quaestio: *ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος οὗπερ οὐκ ἐγώ*; non paullum mira est. V. 1280—1282 dicta in verba Agamemnonis transfert; tu quidem, inquit, de eo, quem tanta gessisse concedere debes, nonne *ἀνόητα* illa verba fecisti? Quae a Teucro non recte nuntiantur, cum superlatione veritatis utatur, qua oppositionem etiam auget. Hanc superlationem animo ad punctum temporis maxime commoto effectam esse patet, cum totum exemplum ita instructum sit, ut Teucrum id accuratius ad verba Agamemnonis relaturum fuisse existimemus[1]). V. 1282 praecipuam conclusionem continet: „neque igitur meministis merita

---

1) Triclinius: *φασὶν ἐνταῦθα ὡς συκοφαντεῖ Τεῦκρος Ἀγαμέμνονα· οὐ γὰρ ἐν τοῖς πρόσθεν αὐτοῦ λόγοις πρὸς τοῦτον τοιοῦτόν τι εἴρηται· ἀλλ' ἔφη ποῦ βάντος ἢ ποῦ στάντος οὗπερ οὐκ ἐγώ; φαμὲν οὖν ὅτι, ὥσπερ κατὰ τὰς ἔριδας συμβαίνει, προςφέρειν ἔσθ' ὅτε τὸν ἀπολογούμενον τῷ προηγουμένῳ τῆς δίκης τοιαῦτα ἃ οὐδέποτ' αὐτὸς ἐφθέγξατο, οὕτω κἀνταῦθα.* Hermann. neque 1237 neque 1281 recte intellexit. Cf. Lob. ad 1237. Iniuria Rud. Rauchenstein Jahrb. f. kl. Ph. 1873 p. 587 v. 1281 exstinguere vult.

aut beneficia Aiacis. Gratumne te appellare possum?"[1]) Alterum exemplum continet vv. 1283—1287, cuius constructio pendet ex *οὐ μνημονεύεις* (1273). Locutio autem *μόνος μόνου* et 1284 referenda sunt ad 1238, cum vocula *ἀκέλευστος* versui 1237 lumen afferatur. Tamen iis, quae Schoell. Aias p. 96 annotat, perpensis ex aliqua parte dubito num 1283—1287 Sophocli attribuendi sint.

Impetum adversarii in se ipsum Teucer 1288—1303 reicit. Quantopere autem haec defensio differt ab ea qua Aiacis honori auxilio venit. Ibi se totum permisit studio, cum gloria dilectissimi et illustrissimi fratris ageretur. Et quam iucunde movemur, si quis sine invidia famam aliorum custodire studet. Sin vero Teucer eodem ardore se ipsum tegeret, certe magnam partem benevolentiae nostrae perderet. Sed accomodatam rationem init. Agamemnon profecto turpiter ac nequiter eum tractavit neque solum originem, sed etiam totam eius virilem et militarem foedavit dignitatem. Quare suspicari possimus eum, qui unus de fortissimis Achaeis erat, virtutem suam demonstraturum esse quae honore, non contumelia digna sit. At quamquam maxime offensus est, tamen paucis tantum verbis utitur ut famam suam defendat: *σὺν δ'ἐγὼ παρών* 1288 et *ὧδ' ἀριστεύς* 1204 solae locutiones sunt quibus virtutem suam commemorat. Postquam spectatores Attici verba: *σὺν δ'ἐγὼ παρών* audiverunt, compertum habuerunt Teucrum servum iudicari non debere. Nam cum servus non sit egregius commilito principis ingenui, vocula *δοῦλος* (1289) iam refutata est, priusquam etiam efferretur. Deinde 1290—1298 demonstrat, quo iure ipse Agamemnon sibi genus obiecerit. Quamquam vv. 1293—1297 delendos esse una cum M. Schmidtio Veris. p. 26, Schoellio p. 97, Nauckio probabile censeo. Teucer postquam 1290 sqq. explicuit, quam imprudenter adversarius dixisset se natum esse de matre barbara (1228, 1289), 1299—1303 vocem *ὁ δοῦλος* (1289) amplius respicit. Cf. p. 37 sq. Nauckius recte annotat locutioni *ἐκ πατρὸς μὲν* (1299) *ἐκ δὲ μητρός* responsurum fuisse. Neque tamen Teucer ita pergere potest, quoniam tum *πατήρ* et *μήτηρ* eodem loco positi essent. Quod fieri non licet, cum pater tantum hic libertatem Teucri efficiat, mater autem *βάρβαρος* sit. Itaque eius mentio fit enuntiatione participiali 1301 sq. Cum 1299 crimen servitutis iam dilutum sit, 1301—1303 re vera Teucer pietate commotus matrem defendere videtur, quae ab Agamemnone contempte habita est.

---

1) *ὑμὶν* est nostrum in euren Augen. Cf. ann. Nauckii ad Oed. C. 810.

Vv. 1304—1315 extrema orationis pars exstat, qua Teucer magno animi affectu profitetur, quid, cum res ita sint, facere decreverit. Nonnulli λέγων (1307) perversum censent, cum quidem Wolff. γελῶν, Bergkius λεών, Erfurdtius, cui Dindorf. adstipulatus est, ψέγων proponant. Sed de his coniecturis cf. Seyfferti ann. ad v. 1307. Egregiam scripturam codicum recte interpretatur Herm.: „nec pudet id te dicere". De praesenti ὠθεῖς cf. Krüger § 53, 1, 6. Voce λέγων aliqua audacia tangitur v. 1050. Quinam deinde locutione ἡμᾶς τρεῖς (1309) significati sunt? Iam inter veteres hoc non convenit. Triclinius ἐμὲ καὶ σαυτόν, συγκειμένους ὁμοῦ τῷ Αἴαντι, τρεῖς perverse exponit, scholiasta recentior: ἑαυτὸν λέγει καὶ Τέκμησσαν καὶ Εὐρυσάκην, quod praeferunt Lob., Dind., Wolff., Seyff., Nauck. aliique. Seyffert. autem ita sententiam evolvere studet: „dubitari non potest quin se et Tecmessam et Eurysacem dixerit Teucer eosque cum mortuo et inhumato Aiace simul interituros (συγκειμένους), se quidem in certamine cum Agamemnone et Menelao, illos suo ipsos infortunio; συνθανόντας dixisset, nisi κεῖσθαι verbum tamquam effectus τοῦ βάλλειν multo esset concinnius". Puto autem sententiam de interitu Tecmessae et Eurysacis textu non doceri. Nauckii verba haec sunt: „βαλεῖτε ἡμᾶς, ausser mir Tekmessa und Eurysakes, an welchen sich zu vergreifen ein Frevel und somit dem Thäter unheilvoll wäre. Teukros erklärt damit, dass er die Seinen gegen solche Unbilde zu schützen wissen werde". Ita res etiam obscurior fieri videtur. Nam quomodo ὁμοῦ συγκειμένους interpretandum est? Ubi deinde Teucer declarat se pro suis pugnaturum esse, cum profecto tantum pro Aiace agere velit (τοῦδ' ὑπερπονουμένῳ 1310)? Itaque verba: „dass er zu schützen wissen werde" nonne repugnant voci θανεῖν (1311)? Schoellius autem ita interpretatur l. c. p. 99 sq.: „Indem Teukros auf die Schutzflehenden, Tekmessa und das Kind, hinwies und mit ihnen und dem Toten sich selbst zusammenfasst, sprach er die stärkste sachliche Drohung aus; da die Weihe-Zeichen des Todtendienstes und Schutzzeichen der Flehenden zu verachten, nach allgemeinem Griechenglauben ein schweres Verbrechen gegen die Gottheit war und von sich Teukros zugleich den äussersten Widerstand versichert. Er thut dies so, dass er den Vorwurf, der auf Agamemnon fiele, wenn er einen um ihn selbst so verdienten Helden wie Teukros zum blutigen Kampfe mit sich drängte, durch den Ausdruck in Eins verknüpft mit seiner Entschlossenheit zum Äussersten. „Es sei ihm rühmlicher, zur Verteidigung der Bruderleiche in den offenen Tod zu rennen, als im Kriege für das Weib und Agamemnons Familie." Hiermit setzt er als gleichbedeutend mit dem Kampfe, den er ankündigt, sein endlich notwendiges Unterliegen, und

macht durch alle diese Momente des Ausdruckes die Androhung eben so sittlich eindringlich, als in der Betheuerung äusserster Standhaftigkeit so entfernt von Prahlerei und von Unterschätzung der Gegenwart als möglich. Stechend ist nur: „Für Dein Weib“ ánstatt: „in Deiner Sache“; aber in diesem Drohsatze objektiv bedeutend, dass er gleich nach der Hindeutung auf Götterbeleidigung des Agamemnon durch Frevel am Leichnam, zufällig ausgleitet auf Agamemnons Weib, nach der bekannten Fabel die Mörderin Agamemnons und Misshandlerin seines Leichnams.“ Haec non plane intellego. Ut unum attingam: Teucrum voce *βαλεῖτε* 1309 admonere imperatorem, ne virum optime de se meritum dimicare cogat, vix probabile est. Nam cum ab Agamemnone etiam servus, *οὐδὲν ὤν* appellatus sit, eum non commonefaciet, ut propter merita sua incepto desistat. Ego tum solum sententiam accurate comprehendo, si Teucrum, Agamemnonem, Menelaum *τρεῖς* voce designari existimo. Quod primus vetus scholiasta affirmavit, cum dicat: „*ἐμὲ καὶ σαυτὸν καὶ Μενέλαον· οὐ γὰρ λέγει περὶ τῆς Τεκμήσσης καὶ τοῦ παιδός*“. Cuius sententiam secuti sunt Welcker. et Piderit. ll. cc. Tum locus ita vertendus videtur esse: hoc quidem scito, si illum tangetis, non minus nos tres tangetis, ita ut una cum eo prostrati simus. Itaque *συγκειμένους* anticipatum est[1]). Sensus vero versuum gravissimus est, qui non solum ad praesentem affectum, sed etiam ad priora verba Teucri (cf. v. 1108 sq., 1115 sq., 1141, 1183 sq.) eiusque fortitudinem et constantiam pertineat. Qua iniuria Seyffert. contendat eos, qui de Agamemnone et Menelao cogitent, Teucrum facere stulte gloriantem, clarum est. Neque enim Teucer stulte gloriatur, sed amore fratris et quasi desperatione maxime commotus se, ut fratrem tutetur, duos Atridas percutere non dubitaturum esse vocat. Tristi sonitu vocis omnia declarantur, cuius propria atque subtilitates excellentissime scita et exercita esse ab antiquis histrionibus constat. Cf. Bernhardy l. c. II, 2 p. 103 sqq. Cogitare autem possumus utrumque Atridam proxime a Teucro abesse, ut commode se et eos uno nomine *ἡμᾶς* colligat. Quomodo se ipsum interiturum esse sentiat, non comperimus ac fortasse suspicandum est, si Atridas necavisset, futurum fuisse ut a comitibus adversariorum profligaretur. Utique autem mors certa fuisset. Quare cum v. 1309 maximas minas contineat, sententia versuum 1313 sqq. ipsa iis se applicat. Vv. 1310—1312 autem dicuntur Menelao ut interpositio explicatrix (cf. p. 32). V. 1314: *εἴ με*

---

1) Cf. anticipationem Ai. 69 (*ἀποστρόφους*), participii ipsius Oed. R. 906 (*φθίνοντα ἐξαιροῦσιν*).

πημανεῖς τι: si me violabis, dolorem mihi afferes scil. Aiace tangendo et violando.

Oratio in tres partes dispertiri potest:

I. 1266—1287: ingratus es in Aiacem;

II. 1288—1303: ego ingenuus et nobilis sum;

III. 1303—1315: quae cum ita se habeant, scio, quid faciendum sit.

Haec oratio una de notabilissimis est quae in fabula inveniuntur. Nam tranquillitas et ardor efficienter coniunguntur aut variant, ingentibus vero minis, quas in fine audimus, tota res praeter opinionem evenit. Actio autem usque ad summum fastigium progressa est, cum argumenti exitus appropinquet neque differri possit. Teucer enim affirmavit se Atridas, si corpus mortuum laederent, trucidaturum esse. Hoc quidem extremum est, cum longius procedere non possit. Quamvis igitur timide proxima vestigia temporis exspectemus, tamen velut voce intestina admonemur, ut eventum bonum credamus. Nam cum ab hac parte Teucer ultimis ac periculosissimis armis usus sit, ab illa Aiax summam laudem accepit. Virtutes eius gradatim elatae sunt. In lamentatione enim funebri (865–1040) se praebet dilectissimum maritum, fratrem, dominum, maxime a propinquis comploratur. Postea autem magis minusve oculi nostri in eum vertuntur, praecipue altera chori antistropha. Sed oratione, quam perspicere modo studuimus, gloria eius perficitur, cum fortissimus omnium fuisse, ipse solus exercitum Graecorum a discrimine liberavisse dicatur[1]). Quare ultro obliviscimur eum aliquando scelus in principes Achaeorum commisisse, et persuasum habemus, si illustribus viris libenter venia danda sit, Aiacem venia dignum esse. Cum laus eius vix augeri possit, longior oratio non sequitur, sed proximae verborum contentiones sitae sunt in disputatione Teucri. Poeta igitur magno artificio secundum exitum instruxit, ut comprehendere possimus Ulixem postea non difficillimam victoriam ab Agamemnone reportare. Summum actionis fastigium vero admirabiliter factum est. Nam varia ad exitum adducuntur: contumacia Teucri, qua tantum mala excitari videntur, et praedicatio Aiacis, quae principia concordiae continet. Unumque altero suppletur et tenetur, ut nostro iure artem Sophoclis hic admirari debeamus.

Ita ad extremam litis sepulcralis partem progressi sumus, quae vv. 1316—1373 amplectitur. Novis telis non opus est, cum argumenta, quae Teucer contra Atridas adhibuit, hic tantum aliquid explicentur atque premantur. Sed opus est novus

---

1) Aliam Aiacis virtutem significat Sophocl. Phil. 410 sq.

vir, qui quasi tormenta disponat. Nam Teucer nimis ab amicitia imperatoris se removit quam ut indulgentiam sperare et debellare possit. Qua re poetam ut semper docere videmus contumacia abstinendum esse. Cf. 1118 sq. Alium defensionem suscipere oportet[1]) atque hic quidem est Ulixes. Iam initio fabulae tranquillum atque gravem se praestitit, non temere Aiacem odit neque ignorat omnibus rebus modum faciendum esse. Ipse maxime aptus natusque est ad Agamemnonem erudiendum et placandum, cum simul Nerei illud[2]) respiciat neque quisquam studium partium ei exprobrare possit.

Ulixem intrantem chorus, quamquam 190 et 954 sqq. non admodum ei confidebat, necessitate et praesensione animi ductus 1316 sq. alloquitur. Cum moderatione Ulixes verba facit neque *ἄλκιμος νεκρός* (1319) vanum aut temerarium odium indicat. Voce *ἄλκιμος* iam disputatio Teucri monstratur, cum poeta curet ut ea semper in memoriam redigatur. Voce *βοὴν Ἀτρειδῶν* Ulixes significare videtur orationem Agamemnonis. Nam minus verisimile est etiam cavillationes Menelai respici, quia mirum censerem Ulixem, si eas audivisset, demum advenire, postquam plurima praeterierunt, chorus cecinit, reliqua. Cf. Oed. C. 887. Plane notandum est quaestioni 1318 sq., quae ad chorum pertinet, Agamemnonem respondere. Adventu enim Ulixis perturbatur, quoniam ira commotus, sed, cum non iuste agat, inquietus est. Itaque intestina festinatione impellitur, ut amicum de re certiorem faciat vel potius se excuset[3]). Ulixes autem suam tranquillitatem retinet atque aequo et superiore animo rerum statum inquirit ut Teucer 1049 sqq. Locus communis 1322 sq. aptissimus est ad animum, qui sibi non constat, etiam magis e sede sua demovendum. Agamemnon voculam *δρῶν* (1324) cum traiectione veri usurpat, ut lenibus aculeis amici (1325) eam illustrare cogatur (1326 sq.). Ulixes vero, cum 1328 sq. minime admiratione afficiatur, exprimit consilium Teucri non

---

1) Wolff. ad 1316: „Motiviert ist das Schweigen des Teukros wie oben das Abgehen des Menelaos: es blieb statt der Worte nur nocb Gewalt übrig". Herm. ad 1319: „Habent — haec verba (*τῷδ' ἐπ' ἀλκίμῳ νεκρῷ*) tanto maiorem vim, quo magis hoc praeconium, ab eo profectum, qui inimicissimus esse putabatur, virtutem Aiacis ita in clara luce collocat, ut, quae ante a duobus contumeliose dicta erant, subito prorsus evanescant, Teucro autem, satis fieri sibi videnti, silentium imponatur". Horum doctorum sententiae coniungendae sunt.

2) Pind. Pyth. IX, 95 sq.: *κεῖνος (ἁλίοιο γέρων) αἰνεῖν καὶ τὸν ἐχθρὸν | παντὶ θυμῷ σύν τε δίκᾳ καλὰ ῥέζοντ' ἔννεπεν.*

3) Cf. Creontis rationem Ant. 889: *ἡμεῖς γὰρ ἁγνοὶ τοὐπὶ τήνδε τὴν κόρην.* Ibi etiam aestus quidam animi signatur. — Similis locutio atque 1321 Oed. C. 892: *πέπονθα δεινὰ τοῦδ' ὑπ' ἀνδρὸς ἀρτίως.*

mirum esse, sed comprehendi posse. Neque autem rem gravissimam esse ignorat et omnibus superfluis praetermissis caput rerum considerat. V. 1328 sq. exordium iudicii eius exstat. Quod autem se familiaritate cum Agamemnone iunctum esse praedicat, verbis postea dicendis et omnem invidiam adimit et plus auctoritatis dat. Nam cum amicus loquatur, Agamemnon in sinu confiteri debet eum optima sibi consulere. Deinde Ulixes 1332—1345 exponit, quid de disceptatione sepulcrali cogitet. Primi quattuor versus adhortationem ad imperatorem continent, cum insequentibus demonstretur eum corpori illudere non debere. Praestantia enim mortui fundamentum est, in quo orator consilium suum firmare potest, ita ut eam efferre proxime necesse sit. Accuratiora autem oratione Teucri iam nota sunt. Ulixes prudentissime agit, cum 1336 sqq. dicat se, quamquam infensissimus Aiaci fuerit, tamen facere non posse quin merita eius agnoscat. Necessaria ex dictis efficit 1342—1345: itaque propter virtutes mortui principis non iure eum laederes (1342). Nam minime hic (cf. 691 sq.), sed deorum praecepta violarentur (1343 sq.). Atque vero apud Graecos religionis erat mortuos humare[1]). Hanc religionem autem ad Aiacem referendam esse verbis *ἄνδρα δ᾽οὐ δίκαιον κτέ.* probatur. Scholiasta dubium putat, utrum *ἄνδρα τὸν ἐσθλόν* coniungenda sint an *ὁ ἐσθλός* dicatur *βλάπτειν ἄνδρα θανόντα.* Hoc posterius verum esse Herm., quem Seyffert. postea secutus est, ad 1344 annotat, cum et re ipsa ostenderetur et positura verborum. Tamen Dindorf. priorem compositionem scholiastae laudat, cum ita loquitur: „coniungenda sunt verba *ἄνδρα τὸν ἐσθλόν*, ut *τὸν ἐσθλὸν ἄνδρα* dixit v. 1352. Parum probabilis quorundam opinio *τὸν ἐσθλὸν* subiecti loco esse habendum, ut *ὁ ἐσθλὸς οὐ βλάπτειν ἄνδρα θανόντα* dicatur, *ἄνδρα* emphatice dicto de viro probo vel forti". Neque dubito Dindorfio adstipulari. Nam ut alia praetermittam, positura verborum hoc loco vix quidquam valet, ipsa autem re multo magis ostenditur *ἄνδρα τὸν ἐσθλόν* non segreganda esse. Cur enim Ulixes praestantiam Aiacis summis laudibus extulit? Haud dubie ut Agamemnoni persuaderet illum non poena dignum neque foedandum esse. Nam, ut supra commemoravi, obici possit Aiacem, cum malefactor sit, sepultura orbari debere. At Ulixes ostendit homini mortuo, si omnino maxime eminuisset, unum peccatum ignoscendum esse, ut locum ita explicare paratus sim: coniunctio *δ᾽* aliquid novi addit (cf. Hermann. ad Viger. p. 843) scil. *οὐδ᾽ ἐὰν μισῶν κυρῇς.* Nam

1) Schoemann l. c. II p. 501 sq., Antig. 453 sqq.: *οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ | κηρύγμαθ᾽, ὥστ᾽ ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν | νόμιμα δύνασθαι θνητὰ φύνθ᾽ ὑπερδραμεῖν.*

1342—1344 (— *φθείροις ἄν*) magis generaliter dicta sunt. Sed sequentibus res proprie confertur in Agamemnonem: Id autem valet, etsi eum oderis. Tamen si Agamemnon vel iure scripto vel usu tradito niti vellet, Ulixes difficilius vinceret. Sed videmus leges humanas tantum initio a Menelao afferri, postea leviter perstringi, ab Agamemnone plane omitti. Conferas contra v. 1350. Quid inde sequitur? Primum iure Atridas non valde imbutos esse, cum Aiaci sepulcrum abrepturi sint, ut *βίᾳ νικώμενοι* (1334) satisfaciant non iustitiae, sed cupiditati suae ultionis. Quare proprium Atridarum in hac re conspicitur. Deinde autem apparet hanc naturam magno consilio a poeta effectam esse, ut actio dramatice et bene procederet. Nam oportuit inimicos Aiacis non esse severos legum custodes, cum aliter philosophorum propriae explicationes necessariae fuissent, quae arti scaenicae minus convenissent. Titos vero Manlios Sophocli non aptas personas futuros fuisse censeo.

Sequens stichomythia (1346—1373) circa dicta vertitur. Nam Ulixes constanter verba sua (1343 sqq.) indicat, simulatque Agamemnon se defendere aut deverticula quaerere studuit. V. 1346 Agamemnon valde de disputatione Ulixis miratur. Quattuor pronomina in versu respicienda sunt: *σύ*, *ταῦτ'*, *τοῦδ'*, *ἐμοί*. *Σύ* reliquis pronominibus amplius explicatur: „aliquando mecum consentiebas atque nunc pugnas contra me (*ἐμοί*); pugnas pro hoc viro (*τοῦδ'*), cum esset inimicissimus tuus; pugnas in hac re (*ταῦτ'*) contra me eius commodi causa. Nunc vero, ubi sepultura agitur, odium explere potes, ut suspicer te mecum avibus eum proiecturum esse.“ Sed ipsa *ταῦτ'* voce res mutatur. Itaque Ulixes 1347 respondet: „pro eo concerto, quia odium hic virtuti repugnat. Oderam, cum odisse deceret, cum Aiax viveret“. Viventem odio persequi veteres bonum putabant[1]). Agamemnon, ut fieri potest, 1348 haud imprudenter loquitur. Neque enim iure aut sinceritate animi iuvatur, sed sagacitate et contumacia unumquemque passum defendit. Quare ex v. 1347 praecipue verbum *καλόν* excerpit, cum dicat: „tu igitur concedis pulchrum fuisse et decuisse hunc Aiacem odisse. Quamobrem eum sectatus es. Et super cervicem eius, cui insidiati sumus, si victus iacet, nonne etiam pedes nostras imponere debemus?“ Itaque Agamemnon praecepta abiectissimae naturae hic profitetur, cum Ulixes patrocinium humanitatis et cultus Graeci susceperit. Qui 1349 voculam *προσεμβῆναι* considerat. Quamquam longiore disputatione suam rationem multo digniorem esse demonstrare

---

1) Cf. L. Schmidt l. c. II p. 355—364, p. 313 sq. Tamen hic etiam modus valet. Eodem loco p. 313 Herod. verba nuntiantur: *ἀνθρώποισι αἱ λίην ἰσχυραὶ τιμωρίαι πρὸς θεῶν ἐπίφθονοι γίνονται.* Ibid. p. 313 sqq. et p. 364—368.

potest, tamen hoc praetermittit sententia supra patefacta, quam optimam esse re ipsa elucet. Quod autem pauca tantum respondet, plane monstrat se Agamemnonis dubitationem et deverticula perspexisse. „Noli gaudere", inquit, „commodis, quae propter religionem omnino repudianda sunt". In προσεμβῆναι commodum continetur, sed accedit θανόντι, et cum θανόντι προσεμβῆναι nihil sit nisi excellentissimo homini mortuo sepulturam demere, κέρδη fiunt οὐ καλά[1]) et ante dicta (1342 sqq.) memoria repetuntur. Primis quattuor versibus stichomythiae Agamemnon recta contra praeceptum Ulixis pugnavit. Si autem 1350 verbis utitur: „non facile est tyrannum esse pium", se victum praebet. Nam cum concedat εὐσεβές esse sepulturam non impedire, egregiam Ulixis rationem agnoscit. Refert tantum ut victoria, quae ex dogmate eius relata est, etiam extra valeat et facta eius attingat i. e. Agamemnon non solum fateatur bonum esse Aiacem sepeliri, sed etiam sepulturam permittat. V. 1350 iudicat regem non facile posse religiosum esse. Atque vero voluntas principis multis coercetur, cum magistratus, famam respicienda esse existimet. Quare fit ut saepe haec externa serventur, Deus spernatur. Quid autem Agamemnon designet, videmus 1362. Ulixes cum bene intellegat difficultates, quas imperator 1350 subtiliter monstret, periculosas fieri posse secundo exitui, 1351: fingamus, inquit, principem non facile pium esse; at facile est amicos honorare, qui inprimis bene loquantur. Itaque commonefacit eum amicitiae, qua inter se coniuncti sunt, et praedicat eum ut amicum suum acturum esse, si Aiaci parceret: non solum imperator es, sed etiam amicus. Neque difficile est amicum colere. Proinde principatum tuum omittas tantumque consideres amicum te fore, si mihi cedas. Verbum φίλοις attributo εὖ λέγουσι firmatur, quod referendum est ad 1332—1345 et quo ostenditur Ulixem dubitationem Agamemnonis (1350) non probare. Sed Agamemnon statim novit eum officiis amicorum nixurum esse, ut se de consilio demoveat. Quare graviora officia ei 1352 attribuere vult: „tu me commones familiaritatis nostrae, equidem te obedientiae commoneo. Sum tuus amicus, sed etiam tuus imperator. Neque decet contra imperatorem dicere, ut tacere tebeas"[2]). Declarat igitur ex aliqua parte dignitatem suam imperatoriam ab Ulixe laedi. Qua re hic exacerbatur, cum videat Agamemnonem se perverse cogitare persuasum habere, attamen verba semper facere, quorum veritas aut pendeat ex animo infirmo neque

---

1) καλοῖς 1349 ut καλόν 1347 idem fere significant quod δίκην 1335, ἐνδίκως 1342, δίκαιον 1344. Quo pacto inter se cohaereant καλός et δίκαιος, copiose enodavit L. Schmidt l. c. I p. 338 sq.

2) Cf. similes locutiones 1072, El. 396.

perfecto (1350) aut falso adhibeatur (1352). Itaque 1353 subiratus: παῦσαι, inquit, potestas tua etiam augetur et confirmatur, si amicos audis. V. 1353 versus 1350 refutatus est, quamquam Ulixes non magis quam Agamemnon verba sua exponit. Si fusius loqui vellet, in hanc fere sententiam dicere posset: simulatque sepulturam concesseris, benevolentiam deorum habebis (cf. 1155), eo magis te ipse diligam, Graeci autem iustitiam tuam laudabunt (1363). Quare Agamemnon plane superatus est, cum primum concedere debeat Aiacem condendum esse, deinde difficultatibus non prohibeatur quominus odium reprimat. Immo vero adiecta est amicitia Ulixis, quae magni pretii est. Fortasse igitur coniectamus eum inferiorem iam discessurum esse. Sed Agamemnon magnos gerit spiritus. Si tum subito nuntiaret: concedo, clades admodum manifesta esset. Itaque agit ut prudens dux, qui detrimento accepto non se tradit, sed caute se recipit. Nam cum proelium amissum sit, tamen bono receptu clades lenitur et obscuratur. Quid igitur facit talis dux? Similem viam init atque in pugna ipsa: milites iaculari et nonnullos impetus facere iubet, ne hostes celerius succedant. Eadem ratione utitur Agamemnon. Repetit quae antea contra dixit, personam Ulixis lacessit perturbandi causa (1358, 1366), dum postremo ab omni parte victus campum relinquit. Ex forma versuum 1354 et 1356 iam apparet Agamemnonem fractum esse. Sepulturam non coercebit, sed iterum amico, quam mirum sit eius consilium, explicare studet. Quamobrem 1346 et 1348 quodam modo redintegrantur. Neque autem si Agamemnon redintegrat, Ulixes quidquam aliud facere cogitur. Quare ut 1347 et 1349 vv. 1355 et 1357 ad 1332 sqq. pertinent. Agamemnon 1356 rursus molesta calliditate verbum praecipuum γενναῖος (1355) neglegit iteratque tantum ἐχθρός. V. 1357 τῆς ἔχθρας pendere ex νικᾷ (cf νικώμενος 1353) recte comprobant Herm., Wund., Seyff., Dind., cum Eustath. p. 842 πολύ pro πλέον, quod Lips. b recepit, positum esse iudicet. Perverse explanat Wolff.: „Der Gen. hängt von πολύ ab. Nicht alle Feindschaft, vgl. 1355". Cf. contra 1376 sqq. V. 1355 ἦν etiam referendum est ad ἐχθρὸς ἀνήρ. Inepte Nauckius pro πολύ πάρος. Deinde Agamemnon facit impetum in ipsum Ulixem (1358), quo quidem nihil aliud petit quam ut rei suae perditae subveniat, non ut amicum offendat. Haec autem efficit ex 1357: „Eras inimicus Aiacis, quamvis virtutibus excelleret. Atque nunc praestantiam eius praetendis ut, cur ei faveas, explanes. Haecne constantia aut firmitas animi est, nonne iure mutabiles homines dicere possum?" Qui impetus quam debilis sit apparet. Nam Agamemnon ingrata illa prudentia causam omittit qua res mutatur: Aiacem prius vixisse atque tum mortuum esse. Ulixes igitur

absurdum putat tali opprobrio ipsi respondere, sed imperatorem similibus telis aggreditur, cum eius crimini aliud, sed iustius crimen opponat: „bene dixisti, inquit, sunt qui sibi non constent; nam multi nunc amici, paullo post acerbi et duri sunt“. Haec verba spectant ad Agamemnonem, qui cum antea familiaritatem cum Ulixe praedicaret (1330 sq.), tum adhortationes eius contumeliose reiciat. Vox *πικροί* tangit ipsum v. 1358 et maiore voce ! pronuntiatur. Agamemnon autem exspectavisse videtur. dum Ulixes dictis 1358 ex aliqua parte perturbaretur aut crimen reputaret. At ipse ab eo culpae accusatur, quam veram esse infitiari non potest. Quare mordax fit et acerbe quaerit: probas scilicet[1]) tales amicos acquiri? Quae verba Ulixi sunt periculosissima, ex responso omnia pendent, ut nobis in mentem veniat loci communis El. 415 sq.: — *πολλά τοι σμικροὶ λόγοι | ἔσφηλαν ἤδη καὶ κατώρθωσαν βροτούς.* Nam si interrogata negat („non probo“), discordia haud dubie oritur et sepultura Aiacis incertissima fit. Sed Ulixes discrimen prudenter fugit malosque scopulos praetervehitur: „Durum animum probare non soleo“. Neque igitur respicit vocem *φίλος*, cum *σκληρὰν* vocula inclementia Agamemnonis significetur. Haec verba tamen magna cum asseveratione dicuntur iisque imperator admonetur, quanta clementia Ulixes sibi persuadere studuerit. Praeterea ex eis elucet hunc amicitiam Agamemnonis magni aestimare, cum facillime aliter loqui potuisset[2]). Quare imperator placatur atque ex

---

1) *Δῆτα* ironice usurpatum est. Cf. Oed. R. 1375: *ἀλλ' ἡ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος — προσλεύσσειν ἐμοί;* Ubi ironia responso manifesta fit: *οὐ δῆτα τοῖς γ' ἐμοῖσιν ὀφθαλμοῖς ποτέ.* Agamemnon igitur dicere vult: *τοιούσδ' οὐ δῆτ' ἐπαινεῖς σὺ κτᾶσθαι φίλους.* Praeterea *δῆθεν* iron. Trach. 382.

2) Ita versus explicui. Seyffertus annotat ad 1358: „*ἔμπληκτος* temeritatem significat, quae in levitate voluntatisque inconstantia cernitur, quae quidem quovis impulsu movetur“. Ad 1359: „opprobrium temeritatis ita regerit Ulixes, ut et talem inconstantiam in hominum amicitiis frequentem esse dicat et ipsum perstringat Agamemnonem, qui modo contraria fecerit senseritque eorum, quae de sua erga Ulixem benevolentia professus erat v. 1331 sq.: hos igitur multos, qui ex suavibus acerbi fiant, falsos amicos describit, illos probos et raros, qui odio deposito ex inimicis benevoli existant“. ad 1361: „dicit Ulixes se non mobiles ac leves laudare amicos, sed eum odisse animum, qui ita obduruerit, ut nulla re flecti possit“. — Nauck. ad 1358: „*τοιοίδε,* die nicht unter allen Umständen ihren Freunden beitreten, sondern unter Umständen von ihnen abfallen. Agamemnon macht dem Odysseus den Vorwurf des Wankelmuths, da er doch früher mit ihm gegen Aias gestanden habe“. ad 1359: „Odysseus giebt zu, es komme vor, dass man bald freundlich sei, bald bitter und unangenehm werde“. Tale cogitatum inane videtur esse. Praeterea Ulixes dicere potest se in Agamemnonem tum comem tum acerbum esse? — Welck. l. c. p. 262 sq. ann. 27: „Was V. 1359 Odysseus sagt, bedeutet: freilich sind viele Freund (wie er vom Anfang

amici gravitate se non porro progredi debere perspicit. Et non solum discrimen evitatum est, sed etiam vis Agamemnonis fracta. Nam cum 1362 revertatur ad 1350, forma verborum (φανεῖς) manifestum fit eum cessurum esse[1]). Postquam deinde Ulixes ultimam dubitationem 1363 pepulit[2]), resistere omnino desinit. Verba 1364 fere comice tincta sunt et inopiam eius optime describunt. Miror quod omnes interpretes sequentibus versibus serium atque magnam gravitatem attribuere videntur. Immo vero Ulixes, cum familiarem concessisse videat, laetitia effertur, ut iocose se sui commodi causa cum Aiace facere dicat. Quod serio eum dicere non putari potest. Nam ut praetermittam quod certe mirum sit aliquem pro inimici sepulcro dimicare, quia ipse aliquando sepulcri indigeat, si Ulixes cum gravitate loqueretur, in 1332—1345 humile privatae utilitatis studium abditum neque mores eius simpliciter aut commode notati essent. Sed Aiacem defendit, quod eius virtutem et praecepta deorum honorat. Ilocalariter etiam Agamemnon respondet 1366[3]), qui

---

dem Agamemnon zu sein versichert, V. 1328), die auch bitter werden. Durch den Vorwurf gekränkt, gesteht er, dass er sich allerdings gegen Agamemnon ändern könnte, wenn dieser ungerecht verführe. Der Scholiast versteht diesen Satz irrig von den Menschen überhaupt. Einen andern Sinn in den Vorwurf zu legen und ihn dadurch abzuwälzen, ist eine gewöhnliche Wendung. Agamemnon: Magst du solche Freunde besitzen? Die nemlich widerstehn und tadeln. Odysseus: Eine harte Seele vermag ich nicht zu loben. Also er bleibt bei seinem Widerspruch, ohne auf die Frage zu achten, und bejaht sie durch die That, so dass daher Agamemnon selbst nun anfängt, einzulenken". — Wund. ad 1359: „Ulixes quum dicit multos aetate sua esse, qui ex amicis inimici fiant, hoc videtur simul significare, ut illis inconstantia illa iure vitio vertatur, ita sibi laudi et honori fore, quod deposita simultate in gratiam cum inimico redeat". — Schoell. l. c. p. 105 sq.: „Hierauf gründet Ag. (1358) den Vorwurf von Aias in der Unbeständigkeit gegen Aias in der Trefflichkeit, bezüglich gegen Odysseus in der Feindschaft. Dies nimmt Odysseus dergestalt verstärkend auf, dass er den Unbestand in den Verbindungen für häufig erklärt (1359: „Gar Viele . ."); woraus von selbst die Warnung klingt, sich gegen eine so wenig seltene Wandlung nie in extremer Weise rächend oder hervorreizend zu verhalten. Durch des Agamemnon entgegnende Unwerterklärung so unzuverlässiger Angehörigen (1360) wird von Seiten des Od. (1361) der bestimmte Ausdruck dieser Widersagung gegen extreme Härte (zu übende wie zu befahrende) hervorgerufen". (?) Aliter etiam Wolff. rem evolvere studet. — „Sub iudice lis est".

1) Minus quadrat ad animi notationem propositum Wolffii, qui pro puncto (1362) signum quaestionis supponere vult: „Ich setze für einen Punkt das Fragezeichen, weil Agam. noch nicht nachgiebt, und doch das Fut., nicht ein opt. potent. steht" (sic in addit. crit. p. 148).

2) Wolff. bene ad 1363: „ἐνδίκους, als dem Recht, nicht der Furcht nachgebend". Haud dubie significat timorem ex Teucro.

3) Interpungendum esse post ὅμοια bene affirmant Herm., Wolff., Seyff., Nauck. contra Lob. et Dind.

recte ludum amici atque dignitatem eius conspicit. Ita etiam verbis Ulixis 1367 suavissimae facetiae exprimuntur. Agamemnon autem concertatione fessus 1368 benigne loquitur: „Sepultura Aiacis igitur tuum, non meum opus appellabitur" i. e. sepulturae obstitissem, nisi auctoritati tuae cessissem. Tamen Ulixes perhumaniter respondet Agamemnonem, utcumque faciat, bene egisse et omnibus honestissimum fore[1]). Qui Ulixem tanta benevolentia amplectitur, ut ei etiam maiorem gratiam 1370 sq. ostendat. Sequens *οὗτος* ab omnibus cum Aiace componi videtur. Neque tamen adstipulari possum. Agamemnon enim, etsi confessus est se Aiaci sepulcrum non daturum fuisse, nisi ab amico permotus esset, haud dubie 1350 nuntiat se verba 1332—1345 et virtutem Aiacis comprobare. Atque ipsa huius gloria a Sophocle ad ultimum petitur, quod omni fere pagina et extremis etiam versibus cognoscitur. Itaque si Agamemnonem in fine tragoediae, cum sepultura concessa sit, rursus affirmantem induceret se semper Aiacem odio persecuturum esse, hoc quidem naturae imperatoris forsitan convenire et verum esse possit, sed spectator iniucunde moveretur, cum illum omnis periculi expertem esse putet. Sed valde consentaneum est Agamemnonem in Teucrum, a quo brevi ante vehementissime offendebatur, voces acerbas conicere: ut Aiacem non peti prorsus comprehenderem, Teucrum non peti mirum mihi videretur. Si quidem *οὗτος* Teucrum significare iudicamus, res excellentissime sibi opponuntur: „tibi maiora etiam dare paratus sum, sed hic permanet mihi odiosissimus[2]). Ei non cessissem. Te autem licet facere quod fieri debet[3]). Oppositio omnino: *σοὶ δὲ κτἑ.* sententiam meam signat: duo defensores sibi opponuntur. Cur *χρή* (1373) vituperetur, non intellego[4]). Eo ut versu 1350 demonstratur Agamemnonem praecepta Ulixis (1352—1345) bona censere.

Quibus explanatis quaeritur, qua re Agamemnon commotus sit ut sepulturam permitteret. Nonnulli iudicant eum solum amicitia Ulixis adductum esse. Cum quibus consentire non possum. Nam si recte putarent, cogitata 1332—1345 et significata 1125, 1131 admodum supervacanea essent. Opus fuisset ab Ulixe auctoritatem atque pretium, neque minus officia amicitiae diligentius praedicari. Neque deinde verus triumphus Aiacis

---

1) F. G. Schmidt conicit ex supervacuo: *ὃς ἂν ποιήσῃ.* De qua coniectura cf. Rauchenstein l. c. p. 588, qui ineptius proponit: *ὅτ' οὖν ἐάσεις.*

2) *κἀκεῖ κἀνθάδ' ὢν* i. e. semper et ubique. Ex *κἀκεῖ* prius posito, Aiacem designari quod iam *ἐκεῖ* versetur, efficere non licet.

3) Cum tota ratione concedendi comparandus videtur esse locus Oed. R. 669 sqq.

4) Libri *χρή*, quod retinuit Lob.; *χρῇς* Dind., Hermann., Seyff., Wolff.; *λῇς* Nauck. (cf. Mélanges Gréco-Rom. IV p. 211 sq.).

exsisteret. Nam sepultura esset impetrata non moribus atque virtute Aiacis, sed concessa tantum benevolentia Agamemnonis in Ulixem, ut ex Aiace ipso minime penderet. Ita vero sententia alterius fabulae partis ieiunissima esset, cum non augustis et magnificis argumentis (1332—1345) victoria ab imperatore reportaretur, sed vulgari amici auctoritate, cui petenti non libentes quidquam denegemus. At a principio ostenditur deos violari, nisi Aiax humaretur; Teucer praestantiam fratris magnis laudibus effert 1273 sqq.; Ulixes fuse exponit cur Aiax propter augustissimam rationem condendus sit. Itaque apertissimum mihi videtur esse poetam id assequi studere ut his clarioribus praeceptis secundus exitus paretur. Posthac stichomythiam conspiciamus. Agamemnon Ulixi obicit inimicum semper sectandum esse. Quid facit Ulixes? Regreditur ad 1332—1345. His igitur vincere cupit. Atque profecto Agamemnon 1350 illam rationem se agnoscere fatetur, neque autem statim ita pollet ut fortiter eam accipiat. Quare in modo omnia vertuntur, quo ad perfectum obsequium ducatur. Ulixes igitur cum prudentissime commemoret eum amicum se praebiturum esse, si indulgeret, tamen *εὖ λέγουσιν* adiungit, quo 1332—1345 monstrantur. In sequentibus autem memoria illorum praeceptorum redintegratur, donec verbis *σοὶ δὲ δρᾶν ἔξεσθ' ἃ χρή* clarissime agnoscuntur. Nam vocula *χρή* omnia patefacta sunt et subtilissime atque elegantissime Sophocles perfecit ut inimicissimus et superbissimus Atrida demum ultimo sermone plane cedat et Aiaci satisfaciat. Quae cum ita videantur esse, respicias praecipue iudicium Schoellii qui ita loquitur[1]: „Menelaus und Agamemnon behaupten ihr einseitiges Staatsrecht. — Jene (i. e. Atridae) erleiden keine Schläge und werden nicht vom Irrtum geheilt, sondern Agamemnon gesteht dem Odysseus seinen Wunsch für Aias' Bestattung zu, ohne seinerseits zur bessern Erkenntniss zu gelangen“[2]).

Vix crediderim aliam in Sophoclis fabulis stichomythiam multo elegantius perfectam esse. Nam primum dispositionem reputemus. V. 1346—1349 Agamemnonis, quae contra dixit, verba refelluntur, ut 1350 per ambages se superatum declaret. Neque deinde vv. 1350—1253 separandi sunt, qui ad praecepta illa (1332—1345) non directo pertinent. Ad hos adiunguntur 1354—1357, quibus quodammodo mitius 1346—1349 repetuntur. Vv. 1358—1361, ut 1350—1353, cum praeceptis illis non directo cohaerent (vocula *φίλος* et ibi et hic valet). Sequuntur quater bini versus: 1362 sq. 1364 sq. 1366 sq. 1368 sq., ut hae partes exstent: vv. 4,4, 4,4, 2,2, 2,2. Verba autem quam astrictissima

1) Gründlicher Unterricht p. 224.

2) Sophocles etiam Ulixem 1380 redintegrantem facit *χρή*, ubi vocula in primo versu posita est ut 1373 in extremo.

electa sunt et quamvis cogitationes varie se premant, tamen pulcherrima aequalitas ubique spectatur. Magna profecto copia sententiarum saepissime tantum adumbratur, ut stichomythiae proprium est. Inprimis considerandum est quomodo impetus Agamemnonis mutentur, quomodo paullatim cladi appropinquet et prudentissime eam detegat, quomodo denique ex vehementissima invidia pax atque tranquillitas oriantur. Serio et ironia adversarii se aggrediuntur, maximo ardore pugnant, dum postremo se coniungunt dulcissimo sermone. Quod Agamemnon et Teucer in gratiam non reconciliantur, hac re universus spectatorum motus non turbatur; quin potius tamquam recessus efficitur, qualem saepe in picturis videmus ubi in fronte illa quidem homines servantur, sed in adversa parte alii intereunt. Nam sepultura Aiacis eo pretiosior est. Omnes vero, qui in scaena versantur, ultimo eventu contentissimi sunt. Agamemnon enim clam sibi fatebitur a malefacto se servatum esse[1]), Aiax autem honeste condetur, qua re voluntati propinquorum eius: Tecmessae Teucri chori satisfit, Ulixes denique suavissime sentit se optime egisse malamque condicionem in bonam permutavisse.

---

1) Isocr. Plataic. p. 307b: *ἔστι δ' οὐκ ἴσον κακὸν οὐδ' ὅμοιον τοὺς τεθνεῶτας ταφῆς εἴργεσθαι.*

II.

Cum Adolphus Schoellius Beiträge p. 530 affirmet ab arte Sophoclis summa postulari posse, haec verba parte Aiacis, ad quam modo animos nostros retulimus, plane probari iudico. Quod praedicandi cum identidem facultatem repererim, tamen parvum additamentum non supervacaneum videtur esse, quo nonnulla comprehendere, praecipue vero ea, quae supra in libri forma non facile includi poterant, illustrare velim. Apparet autem ex genere disputationis meae id perfectum esse non posse, sed forsitan mediocriter sufficiat ad poetam ibi defendendum, ubi meritam laudem ei tribuere nolunt.

Atque Sophocles pari modo intellegentia et experientia praeditus est, ut semper mediam viam conficiat sententiaeque et formae pariter consulat. Sermo autem in parte Aiacis, quam tractavimus, valde poetae proprius est. Nec videlicet hoc loco genus loquendi dico, quod Aristoteles a. p. c. 19, 9 — c. 23 explicat, cum ubique fere grammatica et rhetorica tantum attingat. Specto stilum tragicum, de quo Vahlenius disserit[1]) et qui non potest disci, sed indoli poetae innatus est. Ut venustatem formae comprehendamus, λογιότητα illam, de qua Plutarchus loquitur[2]), opus est versus Sophocleos ipsos legere. Cogitata semper amoenissimo vestitu induta sunt, qui simul simplicitate et colorum copia excellit. Sed quoniam tam naturalis et pulcher est, facile adducimur ut sententiam leviter respiciamus neque interiorem vim eius ponderemus. Libentissime putamus ut formam ita etiam cogitationem apertam esse similiter atque pellucidum fontem. Quare explanari potest aliquando claritatem Sophoclis semper praedicatam esse. Quae qualis sit, dissertatione mea iam patere videtur. Profecto Sophocles uno alterove exemplo praetermisso non obscure cogitat neque incondite, sed ut perspicuitatem intellegamus, saepissime magno studio variis iudiciis diuturno consilio opus est, quibus tamen interdum non certissima parantur. Sophocles enim sermonem diversis moribus accommodat, ἠθοποιΐᾳ instruit, ut cum genus dicendi ita validum atque grave fiat, is tantum fere satis rem introspiciat, qui cum amore et perseverantia ingenium poetae sequitur. In stichomythiis praecipue tempori non parcendum est, ut saltem censere possimus nos ex iudicio nostro

---

1) Vahlen, Beiträge III p. 268.
2) De glor. Ath. p. 348.

cogitationes perspexisse. Nam amplissima sententiarum multitudo non raro viginti versibus exprimitur dictaque et contra dicta saepe rationibus coniunguntur supplendis[1]). — Tripartitam divisionem poeta amare videtur; cf. praeter supra allata Ant. 944 sqq., ubi triplex exemplum usurpatur Danaes Lycurgi (955) Phineidarum (971). Subtilissimi deinde animi affectus a Sophocle ad formam veri finguntur: immodica sui aestimatio, superbia, inanitas, dubitatio, perturbatio, timor, contumacia, animi praesentia, constantia, dignitas, prudentia, iracundia omni ratione mutata et descripta ab indignatione usque ad triste caedis consilium, tranquillitas, cavillatio tum tenuis tum acerba, maxima severitas et suavissima alacritas.

In tali autem genere dicendi cavendum esse ne angusta vituperatione bona neglegamus, mala tantum respiciamus atque adeo inveniamus, apparere videtur exemplo Bergkii. Qui praeditus magna sagacitate, cum ex sententia eius permulta in altera Aiacis parte non absolutissima neque Sophoclis propria sint, hanc omnino poetae mediocris nomini addicere vult. Sed ante tam grave iudicium haud dubie necesse fuit non haec et haec, sed omnia investigare ac perscrutari, nonne permulta ita eminerent, ut inferiori poetae quam Sophocli ascribi non possent. Quod Bergkius omisit; at summam artem saepissime effulgere demonstravisse videor et postea demonstrabo. Deinde rogandum fuit, nonne fabula ipsa, proprietate argumenti poeta adduci potuisset ut vulgarem componendi rationem mutaret aliamque quasi vestem sibi indueret. Si vero crimina, quae Bergk. dilucide affert, etiam ex maxima parte gradatim refutem, Sophoclem esse auctorem scaenarum sepulcralium vix negandum est. Atque Bergk. comment. de Soph. arte p. 25 formam praecipue consideraturus: „haec quidem, inquit, ita comparata est in extrema Aiacis parte, ut haec Sophocle prorsus indigna censenda sint: nam quicunque haec scripsit, artem sermones serendi, id quod vel summum est in arte dramatica, ignoravit, ita ut vix cum Rhesi scriptore componi possit, qui et ipse satis se egisse putavit, si heroas temere iactantes vel conviciantes induceret. Quod si Iophon patre, ut par est, non opitulante haec adiecit, prima artis videntur rudimenta esse; atque comici poetae quo iure frigidum et prolixum poetam esse dixerint, satis intellegere licet.“ Conducit fortasse hic statim referre sententiam Lobeckii, qui ad v. 863 p. 379 annotat longum et verbosum iurgium saltem excusari

1) Cf. etiam G. Bernhardy Grundr. der Gr. Litt. 1880 II, 2 p. 325 et Theod. Bergkii comment. de Sophocl. arte 1857 p. 20: — temperavit pompam et remisit de ubertate, itaque plerumque astrictus est, nonnunquam obscurior.

exemplo eorum, qui primi hanc fabulam ad similitudinem altercationum forensium traduxissent. Atque num heroes temere convicientur etc., magis illustrare non possum quam illustravi examinando fere unumquemque versum. Probabile autem videtur esse ex aliqua parte crimen fusae orationis. Sed consideres velim quae copia cogitationum et factorum 330 versibus contineatur. Gravissimus eventus paritur, qui initio pari non posse videbatur. Inimicissimi ad clementiam ducuntur moresque trium vel quattuor personarum tranquille et aequaliter describuntur. Materia solum durior est quam in priore parte, quare facile fieri potuisset ut aridissima causa iudicialis oriretur. Nam re vera causa tractatur inter sublimiora et humiliora praecepta, quae fabulae necessaria erat. Conspicias autem quo vigore plurima comparata sint, quantopere augustissima valeant, neque forsitan amplius quisquam scaenas cum conventibus Atticis componat. Denique deliberandum est personas secundum schema quoddam verba facere non posse, quasi metuerent semper ne principem personam neglegerent. Cum recta ἠθοποιία exstet, etiam vinculum invenietur, quo sermones earum rationi tragoediae et primae personae annectantur. — Quod attinet ad frigus, iam supra dixi materiam hic ipsam asperam esse, ut constet nos eandem granditatem, eundem animi impetum atque excelsitatem poscere non debere, quem in priore parte. Sed quae poeta consequi potuit, consecutus est. Omnes enim animi motiones praeclarissime ante oculos ponuntur neque mentis agitatio fortasse usquam subtilius explanata est quam hic. Ubique vividissima ἠθοποιία comparet atque etiam ardentissimam vim non deesse loco probatur, quo Teucer ira, indignatione, desperatione fere superatur. Persuasum vero habeo, si altera pars Aiacis a bonis histrionibus edatur, maximum successum proventurum esse. Sed oportet bonos esse histriones, cum cogitationes et sensus tenuissime atque elegantissime expressa sint. Quare orationes et dialogi tantum cum intellegentia studioque legenda sunt, ut prius omnia alia quam frigus sentias. Exempli gratia expediat proprietates inquirere orationis Menelai: vv. 1052—1065 interneciva fere severitate pronuntiantur, quorum fastigium comminatio est ponae (1062—1065). Deinde vox subsidet et 1066 auditur irrisio tranquilla, sed acerbissima. Tum sonus tollitur ad magnam malevolentiam atque laetitiam, cum 1071—1086 piissimae scilicet meditationes lenius praeterfluant. Denique 1087 subito vox mutatur, Menelaus iterum ut 1067 sq. alterius calamitate gaudet vanissimumque se praebet, ita ut oratio secundum veram naturam terminetur. Noli autem dicere has varietates a poeta non petitas esse. Quas etsi proprie non petiverit, tamen ingenio eius creatae sunt, atque si actores Attici

propterea, quod personis prohibebantur a vultuum argutiis, eum plane sequi non poterant, nihil impedit quominus is, qui fabulam legit, in recondita morum penetret. Nam cum Aristoteles[1]) dicat iam legendo patefieri, cuius pretii sit tragoedia, profecto ius habemus nostro iudicio ad fabulam accedendi, si ita a poeta genitis tantum anima infunditur. — Deinde Bergkius[2]) mire iudicat, quod Teucer non particeps fiat sermonis inter Agamemnonem et Ulixem, minime antiquam simplicitatem esse, sed inopiam atque egestatem, cum poeta arduum esse senserit inter tres personas simul dialogum dividere. Qua de re cf. p. 46, 1. Neque magis comprehendo Agamemnonem tam inscienter se recipere, ut homo artificii peritus hoc scribere non potuisset. (cf. Bergk. l. c.) Nam cum semper praedicandum sit Atridam in persequendo Aiace nequaquam duci causis sublimibus, non adiutus legum atque iuris auxilio optime resistere et se defendere mihi videtur. Utique autem indoles personarum a poeta observari debet. Cf. p. 48—53. Praeterea Bergkius l. c. magnam copiam locutionum communium ac quotidianarum inveniri contendit, quae abhorreant ab usitata elegantia Sophoclis; conferendos esse vv. 1374 sq., 1225, 1038 sq. et vv. 1123, 1126 iam a scholiasta improbari. Paene autem cunctor propugnare pro vv. 1374 sq., cum chorus ex consuetudine sua rectissime et aptissime pronuntiet, quid sentiat de victoria victoreque, et agnoscat gaudio commotus virtutem et prudentiam Ulixis, qui omni fere spe ablata victoriam reportaverit. Cur deinde v. 1225 reprehendatur, nescio. V. 1038 sq sane miram sententiam continere patet, quamquam non dissimillima alibi exstant (Schneidew. compar. O. C. 1665 sq., Ant. 469 sq.). Ceterum versus Sophocli non attribuuntur a Morstadtio progr. 1863 p. 30 sq. et Nauckio. Annotationes autem scholiastae iam attigi p. 19, 2, p. 20, 2. Bergkium denique l. c. sibi ipsi plane persuasisse, quod 1028—1420 in trimetro tantum quinque anapaesti, novem soluti iambi reperirentur, 1—133 autem unus anapaestus, novem soluti iambi, ostendi diversam disciplinam metricam usurpatam esse in duabus fabulae partibus aliumque illum poetam, ut bene rem suam ageret, versus diligenter perpolivisse, vix suspicari possum. Nam, ne hos numeros omnino comparem, talia discrimina plurimum fortuita videntur esse. Cf. orationem prioris partis 646—692, ubi semel iambus solutus est, cum oratio 815—865 sex iambos solutos amplectatur. Oed. R. 934—972 sedecies solutio exstat, 973—1186 septies. Neque praeterea intellegerem, cur

---

1) a. p. 1462, 12: *διὰ — τοῦ ἀναγιγνώσκειν (τραγῳδία) φανερὰ ὁποία τις ἐστίν.*
2) Griech. Lit. 1884 III p. 379 sq.

poeta alterius partis, si accuratius eum limavisse metrum putaremus, non audivisset aut sensisset 1064 sq. etiam bis violatam esse severissimam iambi normam. Aliud crimen Bergkii infra per occasionem respiciam.

Nunc artem Sophoclis considerare expedit, quoad pertinet ad fabulam tragicam. Quam caput esse totius tragoediae Aristoteles dicit[1]) eamque declarat artificiosam compositionem et ordinem rerum tragicarum[2]). Atque unum praecipue in ea inveniri opus est, unitatis rationem. De qua Aristoteles l. c. 1451a 16 sq. ita locutus est: *μῦθος δ'ἐστὶν εἷς, οὐχ ὥσπερ τινὲς οἴονται, ἐὰν περὶ ἕνα ᾖ.* Deinde explicat, quo pacto praeterea tragoedia instituenda sit ut unitas observetur. Confitetur igitur supervacaneum esse separatim affirmare fabulam circa unum tantum, qui caput totius tragoediae est, verti oportere. Atque vero si in fabula primae partes a pluribus agerentur, unitatis lex et omnino ars dramatica maxime violata esset. Sophoclem unitatem ut ita dicam personae in Aiace observavisse cum existimare possimus, tamen ingratum non videtur esse investigare, quomodo hoc perfecerit. Neque enim admodum admirabile esset, si deduceretur studium audientium in unum, qui semper magno vigore in scaenam prodire apertisque factis distinctus atque notatus fieri posset. Sed Aiax naturam actuosae et viventis personae amisit, postquam tragoedia vix progressa est ultra dimidiam partem. Nam cum post v. 865 voluntariam mortem sibi consciverit, neque moveri neque loqui neque agere neque, ut in pauca conferam, persona scaenica haberi potest. Tamen fabula non finita est, sed etiam vv. 554 continet. Itaque quaeritur, qua ratione poeta id assecutus sit ut Aiacis ii, qui tragoediam legerent vel audirent, semper acriter meminissent. Primum quidem capita actionis cum eo coniunguntur, de mortui sorte agitur, id quod malum poetam non neglecturum fuisse verisimile est. Sophocles autem ingenio acriore alia opus esse perspexit aut fortasse inscius scopulos praetervectus est, quos alii offendissent. Nam si nihil aliud nisi capita fabulae ad Aiacem relata essent, putamusne eum semper principem personam futurum fuisse? Si artissima praecepta artis consideramus, hoc forsitan concedere possimus. Sin vero animos spectatorum respicimus, hoc negandum est. Nam Sophocles post Aiacem mortuum alios tantum in scaenam inducere cogitur, quibus, si quidem artem observare vult, certa propria et qualitates debet assignare. Quare quam facile fieri potuisset ut spectator,

---

1) a. p. 1450a 39 sq.: *ἀρχὴ οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας.*
2) ibid. 1450a 4 sq.: *λέγω γὰρ μῦθον τοῦτο, τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων.* — 1450a 37 sq.: *τὰ πράγματα συνίσταοθαι.*

quippe qui non philosophetur neque omnia, quae ad principem personam spectant, maxime secum reputare atque gravissima iudicare paratus esse possit, praecipue in eos, qui in scaena vivunt et agunt, animum suum defigeret. Ubi poetae ingenium excellentissime ac mire eminet. Nam primum Tecmessam in personam mutam commutat. Quae cum in priore fabulae parte post Aiacem maxime enituit tum eo mortuo gratissima nobis facta est, ut, si plura ad eam commendandam accederent, Aiacis imago haud dubie obscuraretur. Inde igitur a v. 973 non loquitur et vv. 1169 sqq. commemoratur quasi extra causam. Qua re poeta etiam duo alia consecutus est: nam primum oportet histrionem partes Ulixis agere, qui postea in scaenam producitur. Sed cum partes Tecmessae suscipere possit persona muta, deuteragonista personam Ulixis induit. Deinde Tecmessae est tacere et sine querimonia maritum amissum dolere, litem de sepultura Aiacis exortam concedere viris. Quomodo ars dramatica, necessitas scaenica morumque notatio mirum in modum inter se coniunctae atque ita coniunctae sunt, ut nihil arcessitum aut molestum sit. At qui in scaena agunt? Teucer Ulixes uterque Atrida. Atridae quidem non pertinent ad nostram quaestionem, cum vitiis praecipue excellant atque ab initio, priusquam etiam prodierunt, nobis displiceant. Aliter de Teucro iudicandum est. Nam animi nostri iam in priore fabulae parte saepe numero in eum adiecti sunt (v. 342 sq., 562 sqq., 687 sqq., 719—814, 826 sqq.). Accedit ut v. 985 sqq. maximo consilio utatur atque inprimis Menelaum 1047—1162 prudentia, libera contumacia in turpissimam fugam coniciat. Magis Teucrum distingui non licet, quoniam necessarium est eum spectatores non nimis in se convertere neque tenebras offundere Aiacis memoriae. Qui, si contra fieret, solum is esset, cuius forte causa agitur; cum causa ipsa atque adeo Teucer, qui eam sustineret, praecipui forent. Quare poeta efficit ut Agamemnoni non persuadeat aliique cedat, qui tandem victoriam ab eo reportat. Ita exitus, ad quem in altera tragoediae parte venitur, causa non unus est, sed duo, qui, cum uterque animos spectantium in se convertat, sibi pares sunt. Quo pacto neuter gratissimus fit neque Aiacis imaginem obscurat. Introductio autem Ulixis nemo dubitabit quin praeterea accomodatissima sit ad Aiacem exornandum, cum multo dignior atque magis respiciendus videatur esse, si ab inimicissimo ipso defenditur. Quo perfecto valde conducit, postquam Ulixes scaenam reliquit, Teucrum iterum agere et Aiacem extrema fabula, cum ab omnibus tollatur, gravissime principem personam demonstrari. Quod autem Ulixes in scaenam producitur, aliud etiam impetratum est. Ex tota enim compositione apparet eum aliquando actionis participem fore.

Quod cum hoc ipso tempore eveniat, paene nescio unde fortuna aut consilium poetae initium capiat[1]).

In fabula igitur, cum difficillima obstarent, unitatem personae observatam esse unicuique probatum erit. Neque tamen fabula iam simplex et una est, si de uno vertitur atque studium audientium — id quod hoc loco premendum erat — ei servatur. Sed oportet aliud factum ex alio pendere, omnia inter se cohaerere secundum normam necessitatis aut verisimilitudinis[2]) atque referri ad unum finem. In quo ex sententia mea duo discernenda sunt, ultimus finis et series proximorum finium. Ultimus autem finis est summa sententia sive argumentum tragoediae atque in eo consistit ut aliqua species humanitatis compareat. Huic fini multitudo proximorum finium supponitur, quibus singulae actiones diriguntur et, si intus coniuncti sunt, ultimus finis paratur. Haec ad Aiacem fabulam admoveamus. Vulgaris sententia in ea inest: superbia atque audacia hominem, quamvis ceterum virtutibus emineat, disiungi a diis hominibusque, sed postquam culpa expiata sit, propter illas ipsas virtutes iis reconciliari[3]). Proximi autem fines singulis fabulae partibus exprimuntur, ut quidem proximus fines sit demonstrare, qua ratione Aiax morti appropinquet.

At Sophocli obici videtur eum has leges in lite sepulcrali non perfectissime ponderavisse. Lobeckius poetam excusare vult, cum dicat eum scaenam, qua Teucer cum Menelao disceptat, instituisse, quod cives odio Lacedaemoniorum ardere non ignoravisset. Sed hanc magis accusationem esse quam excusationem Schoell. l. c. p. 530 rectissime annotat. Qui ita loqui pergit: „So gewiss das letztere Moment für die Auffassung des attischen Zuschauers vorhanden war: um so anstössiger wäre es nur, wenn die ganze Vollmacht seiner Einführung in der äusserlichen Absicht selbst beruht hätte. Es handelt sich um die Einheit der Komposition, nicht um das, was Einer sich erlaubt, ein anderer gern gesehen.“ Tamen ipse nimium putat. Nam cum Aiacem primam trilogiae partem esse contendat, quod primum ab Osanno affirmatum, postea a Bergkio comm. p. 25, Gu. Wolff. edit. p. 133, Leopoldo Schmidt[4]) probatum est, argumenta affert, quibus arti poetae obtrectatur. Certe l. c. p. 530 sq.

---

1) Libro confecto etiam memini Aiacis corpus mortuum semper in scaena atque ante oculos spectatorum versari. Quo haud dubie efficitur ut memoria eius minus evanescat, praesertim cum verba, quae de eo dicuntur, ita plus gravitatis habeant. Neque tamen hoc satis proficeret, si Teucer solus in altera parte gratissimus nobis esset.

2) Cf. Reinkens, Aristoteles über Kunst p. 257.

1) Dico etiam diis; nam Ulixes vice Minervae fungitur. Cf. v. 34 sq.

2) Symbol. phil. Bonn. p. 257 sq.

censet fabula ipsa non ostendi, cur Atridae singuli honorem corporis mortui adoriantur, Teucer tamdiu id defendat aut personae attingantur, quae cum Aiace non componendae sint [v. 1109 (1120) — 1105 (1126), 1121 (1142) — 1141 (1160)]. Disputatione opus fuisse quae semper Aiacem perstringeret. — Aliqua horum criminum postea non accuratius considerabo, cum etiam praeter alios I. Caesar Neue Jenaer Allgem. Literaturz. 1843 Nro. 33—36 identidem occasionem repererit dicendi Schoellium nimis arcessita quaerere et ad sententiam suam tuendam saepe argumenta invenire, quae ab aliis non intellegerentur. Oportet autem explanare, qua in re consistat interior vis scaenae addubitatae. Altera fabulae parte sepultura Aiacis impugnatur et defenditur, id quod una cum extremo eventu proximum finem tenet. Poeta igitur huic fini magnum pondus tribuit, cum propter eum permultos versus adhibeat. Quin etiam contendere ausim ex cogitatione tragoediae hunc altius positum esse fine vel finibus prioris partis. Nam Sophocles evolvere studuit excellentissimum virum interire, simulatque diis et hominibus iniuste obstitisset. Quod docetur priore parte. Deinde autem εὐτυχία caelestis agitur, sepultura, quam summum bonum esse mortuorum veteres putabant, ita ut altera parte iustitiae satisfieri necesse sit: Aiax cum peccaret, contumelia et morte affectus est. Ceterum valde egregius erat, quare non licuit eum sepultura orbari. Prior igitur tragoediae pars negans est, cum iustitia deorum acerrimam se praebeat ac terribilissimam, altera autem affirmans, cum superos mortalium casus gubernare scelereque expiato merita honorare pateat. Actio autem componitur ex contrariis et pugnis. Atque sepultura finis est alterius partis. Qui ut dramatice conformetur, oportet contra eum et pro eo concertari. Si autem gravissimus est ipsa sententia, quam modo indicavi, ex rei natura proficiscitur eum accomodate, accurate comiterque instruendum esse. Quod eo melius fieri potest, si non solus Agamemnon, sed etiam alter in scaenam prodit iniquis consiliis. Tum vero exitus magis pretiosus fit, virtutes mortui magis dilucidantur, victoria, quae sublimioribus causis ab humilioribus reportatur, clarius eminet atque ut paucis absolvam: quod propositum est arti, copiosius efficitur. Deinde poeta per Ulixis personam plura assequi studuit quam ut eum initio fabulae tantum induceret. Mores eius a principio proprie descripti sunt, ut postea se faventem Aiaci praestet. Itaque si persona Menelai non esset, inaequalitas fieret prorsus arte carens. Nam cum opus esset Agamemnonem confligere cum duobus adversariis, horum victoria certe minueretur, quod cum fabulae sententia haudquaquam congrueret. Praeterea, ne interiorem vim amplius exsequar, aequalitas partium ipsa magnopere placet. Quare si Menelaum

amovere vellemus, severissimam normam sequentes Ulixem quoque amovere deberemus. Sed etiam aliis rebus probatur nos Menelao carere non posse. Atridae enim inseparabiles sunt, usque simul commemorantur (cf. p. 9) atque eos coniunctos esse hic praecipue par est, ubi inimicissimo nocendi facultas datur. Tum Menelaus per fraudem Aiaci arma Achillis abstulit (1135). Qua iniuria cum Aiax adducatur ut via aberraret, persona Menelai non supervacua est, qui nodos effecit et, si adest, quodammodo corpori mortuo tacitus honorem restituere cogitur.

Quibus dictis iam constat Agamemnonem et Menelaum 1047 non bene una progredi potuisse. Nam expositio attenuata et difficultates scaenicae vix evitandae fuissent. Quamquam minime oportet ea reputare, quae non evenerunt, sed id tantum refert ut a Sophocle instituta comprehendamus. Ipse vero Menelaus aptissimus est, qui solus consilia Atridarum qualia ac quanta sint foras enuntiet, ipsa facillima clade Menelai monstratur, quantopere scilicet Atridae praeceptis legum suarum perfusi sint. Praeterea Menelaus, postquam se recepit, solus nullius momenti est, ut persona muta fieri possit. Sed quod silentium eius priore scaena, qua contra Teucrum infeliciter pugnavit, nititur, hac solum impetratur ut postea mirum in modum bini adversarii quasi in acie stent. Deinde animi spectatorum scaena suspensissimi fiunt. Nam primum discrimen retardatur, paulatim appetit atque magna varietate praelusionis elucet, quam acriter certamen supremum eventurum sit. Res igitur per artem augentur, colores quasi pedetentim obscuritatem amittunt, clarius eminent, donec grandissimum tanquam proelium pictum ante oculos versetur. Quo pacto spectator non hebes redditur aut discrimine opprimitur, ita solum ille motus confici potest, quem bona fabula animis nostris inferri necesse est.

Itaque mihi persuasi hanc scaenam gravem esse partem actionis, neque apparet qua ratione Sophocles ea praetermissa rem aptius instituere potuerit.

Cum fabula tragoediae inprimis digna sit quae expendatur, secundum locum tenet morum notatio. Neque tamen meum est praecepta Aristotelis, qui censet mores honestos, aptos, veros, sibi constantes esse debere, ad Aiacem transferre, quamvis commoda occasio iucundas excursiones faciendi ita daretur. Tantum ex priore capite aliqua colligam sententiasque considerabo nonnullorum doctorum, qui ad alium exitum pervenerunt.

In altera parte haud dubie valde excellit Teucer, qui cum hereditate Aiacis simul defensionem eius suscepit. Utique mores eius admodum nobis grati sunt. Sed quaeritur, qua in re hoc gratum consistat. Schoell. p. 563 ita iudicat: „Teukros besitzt ein gerades schlichtes Wesen und einen Charakter von grösster

Klarheit und Gütigkeit. Seine ganze Verteidigung der Bruderleiche und der eigenen Ehre ist durchaus mannhaft und den Gründen nach, die er vorbringt, durchaus geschickt und vollwichtig. Ferner muss er offen, klar und biederherzig genannt werden, wie jeder wünschen muss, es zu sein. Aber seine Treue, die Ängstigung des Ehr- und Pflichtgefühles, edle Mannhaftigkeit verwickeln ihn in die dieselbe Feindschaft und entzünden ihn zu demselben Hass wie Aias, so dass er auf dem natürlichsten und gerechtesten Wege in die Ungerechtigkeit desselben gerät.“ His ultimis verbis quid Schoell. velit, perbrevi videbimus. Confiteor me arbitrium eius tantum ex parte probare posse. Quamquam in diiudicandis personis Sophocleis diiudicantis sensum valere et pensare necesse est, cum ex versibus tantum haurire possimus, tamen spero meam, ut in priore capite explicita sit, sententiam magis textui respondere. Observationes enim, quas 1046, 1127, 1133, 1137 reperimus, et prudentia, qua semper utitur, satis argumento sunt non licere eius moribus perfectissimam simplicitatem conciliare. Libentissime Schoellio assentior, cum p. 562 dicat eum non rudem esse ut Telamonem patrem, non atrocem ut Aiacem fratrem, eum summo officii tuendi studio commoveri; at calliditas et contumacia quaedam vix negari potest, quae quidem valde pertinet ad fabulae compositionem. Fortasse autem obici possit prius exspectandum fuisse ut Teuer ab initio ardentius atque calidius quam prudentius atque tranquillius pro fratre propugnaret. Nam cum dilectissimus ille ingentissimis malis urgeatur, ipse Menelao resistit interdum tanta tranquillitate, sagacitate, ratione ut eum fere causidicum censere possis, qui pro alieno causam actitet. Sed totam indolem Teucri ponderare conducit. Priusquam in scaenam prodiit, iam novimus propinquos ei plane confidere, cum suprema calamitate pressi nomen Teucri cum fide enuntient. Ita quid significatur? Profecto eum consilio atque constantia uti. Nam vir turbulentus, licet fortissimus sit, magis nocet quam prodest animosque nostros prius metu ac cura implet. Primi duo vv. 977 sq. ad mortuum spectant. Sed iam 980 sqq. suam ipsius sortem contemplatur, cum 983, 985 sqq. Eurysaci consulat. Deinde ampliore oratione quod fratrem amiserit conqueritur, cuius prior pars 992—1002 ad Aiacem solum pertinet. Postea autem de se ipso cogitat et de calamitate, quae ei allata est illius interitu. Videmus igitur eum non somniantem esse, sed etiam usum vitae atque utilitatem respicere. Sane fratrem amat, quod compluribus argumentis probatur. Neque autem se defatiganti atque inutili dolori tradit, sed novam rerum condicionem statim perspicere studet. Quare etiam cum tranquillitate et irrisione Menelaum tractat, cuius naturam bene animo vidit. Temperat linguae in acerbissimis

ipsis offensionibus ac tum primum cum Agamemnon deliciarum eius dignitatem spoliavit eumque ipsum arroganter aspernatus est, gradatim motus animi augetur postremumque eo trucius exardescit (1308—1312). Sequentibus autem versibus Teucer se magis continet et firmitas atque libera contumacia eius prominent. — Denique dicitur iustissime socius factus esse iniustitiae Aiacis. Quam societatem Schoellius deprehendit 1135 et 1137, deinde 1389 sqq. V. 1389 sqq. autem Teucer Atridas exsecratur quod corpus mortuum eicere voluissent. Atque Schoellius p. 591 annotat hanc imprecationem non iustam fuisse: „sie (die Adriden) waren Frevler dadurch, dass sie den Todten schänden w o l l t e n, wie Ajas sie hatte morden w o l l e n, und indem Teukros erkannte, dass diese unerfüllte Absicht des Ajas zu rächen Frevel wäre, durfte er ihnen, welche ja diese Absicht auch unerfüllt liessen, nicht fluchen.“ Quod non rectissime dictum est. Ubinam Teucer intellegit facinus futurum fuisse, si i r r i t u m Aiacis consilium persecuti essent? Certe nusquam. Nam facinus fuisset, mortuum violare, propter causas quae ab Ulixe exhibitae sunt quibusque victoria lata est, neque autem propterea quod Aiax propositum suum non absolvit. Neque tota fabula talis sententia exprimitur, apparet contra Aiacem ex severissima hominum lege puniri potuisse. Tamen in exsecratione illa aliqua iniustitia exstat, sed valde comprehensibilis est. Nam status Teucri considerari debet. Qui postquam magna moderatione adversarios habuit, postremo amore fratris atque imminente periculo quam maxime inflammatur et in alium commutatur. Tranquillitas evanescit, ut inde a v. 1304 ira eius apertissime compareat. Tum in scaenam progreditur Ulixes. Cuius rationem ut Teucer maxime admiratur ita gravissimum fit odium eius contra Atridas, quorum malevolentia patet. Et verba: *οὗτος δὲ κἀκεῖ κἀνθάδ' ὢν ἔμοιγ' ὁμῶς ἔχθιστος ἔσται* (1372 sq.) eum tantum magis incitare possunt. Quibus compositis devotio illa iniqua est, si per sese cognoscitur, neque autem si cum reliquis comparatur. — Quod attinet ad vv. 1135 et 1137, Schoell. putat p. 576 sq. Teucrum 1135 caedis consilium defendere: „Teukros nimmt die Schuld des Bruders auf sich; denn freilich durfte er nicht, wollte er im Rechte die Verteidigung durchführen, zugeben, dass Aias gefrevelt hatte.“ Sed videor supra p. 21 sq. demonstravisse, cum Menelaus 1134 scelus Aiacis non respiceret, etiam Teucrum id defendere non posse. Deinde Teucer minime id assequi studet ut fratrem iure atque actione protegat, sed eum invitis Atridis contumacia sepulturus est (1108 sq., 1115 sq., 1141, 1182 sqq., 1308 sq.). Si iure pro eo dicere vellet, id tantum iter ingredi deberet quod Ulixes postea init et ipse 1110, 1125—1131 significavit. Neque defensio illius delicti alio loco invenitur neque

vero iuri conveniret, si exstaret. Nam Sophocles intendit ut iure probetur mortuum condi debere. Quare ineptissimum esset, si unus e defensoribus Aiacis facto eius faveret quod malefactum esse fabula semper docetur atque spectatoribus persuadetur. Sed quod Teucer cur iustissime frater humandus sit non accuratius explicat, hoc a poeta magno consilio artis causa institutum est. Etenim si Teucer fusius dilucidasset *τὸ δίκαιον*, molesta repetitio orta esset, cum Ulixes id ipsum premere debeat (1332 sqq.). Itaque iis ipsis locis (1125, 1131), ubi ille occasionem amplecti possit sententiam suam explanandi, Sophocles curavit ne opus esset eum doctrinam Ulixis praecipere. Nam cum Menelaus perperam loquatur (1126, 1132), Teucer gravem atque dignam disputationem aspernatus Menelaum quasi hebetibus telis profligat. Atque futurum fuisse ut mores Teucri non obscurarentur sceleris patrocinio, ut Schoellius l. c. p. 577 censet, non comprehendo. — Etiamsi autem Teucer fratrem peccavisse putat, magnae laudes quas 1413—1416 ei tribuit ab hac re non dissentiunt. Nam cum Aiax *ὁ πάντ' ἀγαθός* ibi vocetur, Teucer non multo ampliora dicit Ulixe (1339 sqq.). Praeterea considerandum est quo tempore verba fiant. Merita Aiacis undique agnita sunt, ex virtute eius praecipue victoria pendet, ut ei, qui fabulam audit vel legit, illa locutio iustissima videatur esse. Nam culpa viri fortissimi oblivione obruta est, Teucer eam non meminit atque ut verba orationis funebris, qua mortui memoriae magnum lucis affertur, *πάντ' ἀγαθῷ* sonat super corpus mortuum Aiacis[1]). — De v. 1137 Schoell. iudicat p. 572: Teucrum, quod in universum adiciat Menelaum clam multa mala committere, cum haud dubie hoc argumentis comprobari non possit, iam incipere iniustitiae fratris participem fieri. Neque affirmem Teucrum 1137 vera dicere. Tamen non proprium mendacium exstat quod certe loquenti praecipue hoc loco non parvo dedecori futurum fuisse elucet[2]). Nam ipsa verborum forma iam exprimit se nihil affirmare, atque cogitare possumus eum ita dicere ut adversario stomachum faciat alia. Cf. p. 23.

Ulixis naturam investigare vix necesse est, cum docti summatim de ea consentiant. De Atridis autem iudicia discedunt. Osannus[3]) quidem nimis inique censet ratus Agamemnonem et Menelaum ut invisissimos atque crudelissimos esse descriptos.

---

1) Cf. Trach. 177 ubi Deianira admirabili amore Herculem *πάντων ἄριστον φῶτα* appellat, quamvis magnum maerorem ex eo ceperit.

2) De Graecorum veritate cf. L. Schmidt l. c. p. 103—414. Ubi monstratur Graecos, quamquam Democriti praeceptum: *ἀληθομυθέειν χρέων ὅπου λώιον* (frgm. 125) exstat, maxime veritatem dilexisse. Neque defensorem Aiacis proprie mendacem esse licet.

3) Über den Aias p. 34.

Qua cum re non congruit ipse felicissimus exitus. Paullo mitior Solgeri[1]) opinio est qui Atridas malos et scelestos esse arbitratur. Iacobus[2]) controversia, qua Menelaus Teucrum oppugnat, loquacitatem et ignaviam notari vult, quae verba Schneidew.[3]) mutavit in „superbiam atque ignaviam". Welckerus autem l. c. p. 251 non satis certe ita loquitur: „Trotz der ausgesprochenen Feindschaft der Partheyen hat der Dichter sich wohl gehütet, die Atriden im Allgemeinen herunterzusetzen, mit sichtbarer Ungunst zu schildern oder nur in diesem Streite der Obergewalt gegen einen Mächtigen gehässige Antriebe bei jener besonders zur Sprache zu bringen". Hoc iudicio constat nimium Atridis faveri. Doederleinius[4]) denique cogitata sua ita colligit: „hinc (i. e. a parte Atridarum) ius non sine crudelitate pugnat". Cum e sententia eius Atridae ius legitimum defendant et obedientiam in magistratus atque leges, severitatem quandam imperatoriam iudicialemque in factis eorum magis conspici quam inimicitias et malignitatem putat. Quod non comprehendo, nisi quis forte pios sermones ut 1071—1086 veros et sinceros putare, illos autem locos quibus ardentissima simultas ostenditur neglegere vult. Profecto Menelaus 1052—1065 praecepta legum graviter praedicavit, ut nusquam verba eius sint efficaciora. Sed quodammodo ea edidicisse videtur, cum neque in religione firmissima neque in animi sententia ea posita esse brevi post manifestum fiat. Nam ubi simultas emergit, verba infestissima et clarissima sunt, ubi obedientiam in leges nuntiat, non stabilis est, omnia coacta videntur, inimicitiae inmiscentur atque sententiae discrepantes nascuntur[5]). Neque dubium est quin Atridae multo gravius atque firmius repugnaturi fuerint, si plura apud eos vincenda fuissent postulatis acerbissimi odii. Itaque ius vix est cum iis, quia scilicet non satis ei consulunt et violentia reguntur. Cum fortasse pariter oderint, tamen Aamemnon se magis continet[6]), Menelaus apertius se calamitate Aiacis gaudere ostendit. Menelaus omnino levior ac vanior est Agamemnone, qui, quoad fieri potest, auctoritatem et dignitatem suam servare cupit. Nam puto Agamemnonem haudquaquam tali stichomythia cum Teucro pugnaturum fuisse quali Menelaus cum eo pugnavit. Itaque Menelaus agendo demonstrat, quantopere indoles sua potestati imperatoriae conveniat quam libentissime sibi arrogare paratus

1) Soph. p. XXVI.
2) Jacob, Soph. Quaestt. p. 206.
3) Einleit. p. 62.
4) l. c. p. 128; cf. p. 124—127.
5) Cf. Schoell Aias annot. 43 p. 80 sqq.
6) Bernhardy l. c. II p. 363 recte eum frigidiorem appellat quam Menelaum.

est. Sed minus mihi persuasi Menelaum prorsus esse ignavum, id quod Doederl. l. c. p. 127 cum Jacobo et Schneidewino affirmat. Nam si Menelaus 1067 sqq., quos Doederl. indicat, verba facit: *εἰ γὰρ βλέποντος μὴ ἐδυνήθημεν κρατεῖν | πάντως θανόντος γ'ἄρξομεν κτλ.*, nihil apparet nisi eum domare non potuisse valentissimum et trucissimum Aiacem, quo vix ignominia Menelai conficitur. Quod autem mortuo parcere non vult, hoc minime ignavi, sed inimici, humilis neque magnanimi viri videtur esse. Locutione *κἂν μὴ θέλῃς* (1068) haud dubie fortitudo quaedam significatur ut tota oratione. Neque ignavum se praebet Menelaus, cum parvo comitatu (1115) in scaenam prodeat ubi Teucer et chorus Aiacis protegendi causa versantur. Postremum (1159 sq.) abire cogitur, cum solus violentiam adhibere non possit contra Teucrum eiusque comites. Tamen quaeritur num poeta naturas Atridarum iniquius descripserit. Neque Aristotelem personas generosas esse ita iubere, ut tantum honesti in scaenam producendi sint, efficitur ex a. p. 1454a 28 sqq., 1461a 5 sqq., 1461b 19 sqq. Sed institutis artis dramaticae repugnaret, si maleficentissimi atque perversissimi homines introducerentur. Tales Atridae non sunt. Nam cum Aiax utique magnum scelus contra eos machinatus sit, odium eorum ex aliqua parte si minus excusari tamen comprehendi potest. Menelaus quidem a nobis sperneretur, nisi ratio, qua a Teucro tractatur, quidquam comici contineret, ac praeterea vix negari possit eum ex aliqua parte deos vereri, ut Schoell.[1]) recte indicat vv. 1060 et 1130. Agamemnonem denique videmus religione moveri[2]) et profecto amicitiam magni aestimare. Tamen Atridas multo inferiores esse Teucro et Menelao elucet. Sed nequaquam assentiri possum Bergkio[3]) qui propter id ipsum descriptionem Atridarum mediocris esse poetae neque assignandam esse Sophocli contendit. Profecto concedo in universum non decere egregium poetam iis, quos triumphare cupit, magnam virtutem tribuere, iis autem, quos triumpho obstare necesse est, magnam malevolentiam, quod non solum commodius est, sed etiam omni subtilitate caret. At hoc loco res aliter se habet. Iam p. 39 commemoravi dubitari posse, Aiax nonne mortuus etiam poenam mereat, quoniam facinus eius insignissimum fuerit. Atque ius quoddam Atridae tenent, ut a primo magis opportuno loco confligant quam funeris defensores. Itaque

---

1) Aias Übers., Anhang p. 128.

2) Cf. Antig. 1024 sqq.: *τοῖς πᾶσι κοινόν ἐστι τοὐξαμαρτάνειν | ἐπεὶ δ'ἁμάρτη, κεῖνος οὐκέτ' ἔστ' ἀνὴρ | ἄβουλος οὐδ' ἄνολβος ὅστις ἐς κακὸν | πεσὼν ἀκεῖται μηδ' ἀκίνητος πέλει.*

3) Griech. Lit. III p. 379.

si Agamemnon et Menelaus etiam se praestarent inimicos dignissimos atque iustissimos, scilicet quaererem quo pacto Aiax atque pars eius cum dignitate victuri essent. Cf. pp. 39 et 48. Equidem admiror hic prudentiam poetae.

Ita pars fabulae Sophocleae, quae inscribitur Aiax, a nobis non praepropere investigata est. Clarissimum poetae ingenium, sollertia et artificium mire eminent, ut scaenas sepulcrales novas atque ingeniosissimas appellare possis. Aristoteles monet[1]: — *τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἐστίν.* Atque partem Aiacis sine artificibus scaenicis ac ludo cognovimus, partem, quae ab uno ex doctis nostris opus vile et primus conatus poetae mediocris habetur. Nihil commemoro de tali iudicio, sed id saltem constat: si tantum disputationis meae aliquantum veritate nitatur, auctorem scaenarum sepulcralium iam ex pueris excessisse et praecipue non esse Iophontem puerilem. Talis compositio, talis notatio morum nequaquam sunt rudimenta, quae forsitan etiam poetis in secundo vel tertio gradu collocatis dedecori sint. Itaque hac dissertatione gloriam illustrissimi poetae Graeci, qui delectationi omnium aetatum scripsit, paullo auctum iri spero.

1) a. p. 1450b 18 sqq.

VITA.

Natus sum Ioannes Behme Halberbrachti Guestfalorum a. h. s. LXII. a. d. XVII. Kal. Febr. patre Franzisco, matre Bernhardina e gente Kaiser, quos integra valetudine esse gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Instructus per tres annos schola privata gymnasia Attendornense et Paderbornense adii, quae per quattuor annos frequentavi. Maturitatis autem testimonio exornatus vere a. h. s. LXXXI. universitatem Herbipolensem petii, ubi per bis senos menses interfui scholis praecipue theologicis et philosophicis. Deinde in academia Monasteriensi, quam frequentavi per bis senos menses, ad studium litterarum et antiquarum et theotiscarum me contuli. In hac denique alma litterarum sede Marburgensi per ter senos menses me docuerunt V. V. D. D. Bergmann, Bormann, Caesar, Cohen, Justi, Lucae, L. Schmidt. Postquam exercitationibus eruditus sum proseminarii philologici Monasteriensis sex menses, hic seminarii philologici et Germanici socius fui ordinarius per bis senos menses, seminarii philosophici et historici, quod pertinet ad antiquam historiam, socius sex menses.

Omnibus, qui me docuerunt, iustas atque debitas ago gratias.

Sententiae controversae.

I. Gilbertum Handb. d. gr. Staatsalt. I p. 231 sq. argumentis confirmavisse nego magistratum τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει non exstitisse ante a. 338.

II. Iniuria Nauckius Trach. v. 712 sq. a Sophocle abiudicat.

III. Contendo verbis illis Horatianis carm. II. 7. 10: „relicta non bene parmula“ ipsis comprobari Horatium fuisse fortem.

IV. Persii sat. VI. v. 51 sq. interpungam: „Non adeo, inquis, exossatus ager iuxta est“, ita ut componatur: „ager non adeo exossatus iuxta est“.

V. Puerili tantum animi applicatione puella in carmine illo Hartmanni, quod inscriptum est: Der arme Heinrich, a primo et praecipue commovetur ut pro viro aegroto vitam profundere cupiat.